



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Tractatus I. De Regula interna sive Conscientia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

LIBER PRIMUS.

Nem, r

De Regula Actuum humanorum.

TRACTATUS PRIMUS

De Regula interna, sive Conscientia.

CAPUT I.

Quid Conscientia, & an sequenda sit?



Espondeo I. Conscientia est dicta-
men rationis, seu actus intellectus,
quo judicamus aliquid hic & nunc
agendum, vel omittendum esse, vel
fuisse, tanquam bonum, vel ma-

lum, idque per modum præcepti, vel consilii. Hæc
communiter est recta, dictans quod verum est: ali-
quando tamen non est recta, dictans aliquid aliter
quàm sit, v. g. esse bonum, quod est malum, dici-
turque Erronea, quia contingit cum errore, idque
vel vincibiliter, seu culpabiliter, quando scilicet
error vitari potuit, ac debuit: vel invincibiliter,
quando error moraliter vitari non potuit; ideo-
que nec voluntarius est, & consequenter non im-
putatur ad culpam, & hæc dicitur Conscientia recta
secundùm quid, sive in ordine ad nos, *Ex D. Thom.*

Lay. l. 1. tr. 1. c. 2. n. 1. & cap. 3.

Resp. II. Non tantùm Conscientia recta, sed
etiam inculpabiliter erronea, dictans aliquid per
modum præcepti, obligat, ut eam sequaris; & si
contra facis, peccas; & quidem peccatum ejus spe-
ciei, contra cujus virtutis speciem intellectus pec-
care judicat. Ratio prioris est, quia Conscientia

A

recta

F 44

S. ad 11.

g. 10.

12 ad 41.

14 p.

2
 " recta est regula proxima voluntatis , derivata à
 " prima & principali regula omnium actionum hu-
 " manarum, scilicet lege divina & æterna, *S. Thom.*
 " 1. 2. q. 19. art. 3. & 4. Ratio posterioris est, tum,
 " quia si intellectus voluntati proponit malum, esto
 " malum non sit, si tamen putans esse malum vult
 " illud facere , jam voluntas verè consentit in ma-
 " lum, habetque sufficientem affectum ad peccatum
 " illud, quod apprehendit: tum quia *omne, quod*
 " *non est ex fide*, hoc est (ut à sanctis Patribus commu-
 " niter explicatur) quod non est secundum consci-
 " entiam, *peccatum est*, ut dicitur ad *Rom. 14.* Pat-
 " est ratio, si intellectus proponat aliquid ut bonum
 " & præceptum, esto non ita sit, sed malum, volun-
 " tas enim illud liberè respuendo vel omittendo,
 " consentit in transgressionem præcepti, & peccat.
 " Cujus ulterior ratio est, quia objectum tribuit
 " actui speciem, prout hic & nunc ab intellectu
 " proponit, *S. Thom. loc. c. art. 5.*

Ex dictis resolvuntur sequentes Casus, &
similes.

" I. Putans esse jejunium, quando non est, pec-
 " cat contra temperantiam si non jejunet, *S. Thom.*
 " *loc. cit.*

" II. Si quis mentiatur ad liberandum proxi-
 " mum ex periculo vitæ, putans se ex misericordia
 " ad id teneri, actum bonum facit; & si non men-
 " tiatur, peccat contra misericordiam. *Lay. lib. 1.*
 " *tract. 1. c. 4. n. 2.*

39. 40. 41.
 34. 35. 36. 37.
 38.
 " III. Scrupulosus licet putet involuntarias di-
 " stractiones esse peccata, non tamen peccat, quia non
 " sunt liberae, *Becan. 1. 2. t. 1. c. 4. q. 7 Laym. loc. c.*

" Resp. III. Si sit Conscientia culpabiliter erro-
 " nea,

nea, iudicans ex ignorantia vincibili aliquid pro-
 hibitum esse, aut præceptum, quod non est, peccas,
 si contra eam, & si secundum eam opereris: gravitas
 tamen (cæteris paribus) si contra. *Bresser. Bardi*
d. 3. c. 5. Ratio prioris est, tum, quia non agis se-
 cundum regulam humanorum actuum: tum quia
 voluntas, cum per se sit cæca, debet sequi rationis
 iudicium: si enim perseverante illo iudicio appe-
 tat alteram partem, non potest in eam ferri sub ra-
 tione honesti, cum intellectus sub ea ratione non
 proposuerit. Ratio posterioris est, quia, ut cum *D*
Thom. docetur communiter, ignorantia vincibilis
 non excusat à culpa: cum enim in nostra potestate
 sit, errorem vincibilem deponere, malum, quod fit
 ex conscientia erronea, dictante illud esse facien-
 dum, est indirectè voluntarium, ideòque imputa-
 tur ad culpam. *S. Th. l. 1. c. 2. 6. Bon. to. 2. d. 2. q. 4. p. 6.*
6. n. 14.

Unde resolvuntur Casus sequentes.

I. Homo in tali casu constitutus, v. g. qui sibi
 mentiendum vel furandum putat, ut vitam proxi-
 mi servet, etsi futurus sit perplexus & ex hypothesi
 necessariò peccaturus, necessitate consequente, eò
 quòd stante conscientia erronea, non possit effuge-
 re peccatum; absolutè tamen & simpliciter non
 peccabit necessariò, quia nec sequi talem conscien-
 tiam debet, nec contra eam facere; sed potest, &
 debet, eandem deponere, cum sit error vincibilis, &
 culpabilis; & tunc operari. Vide *Laym. n. 4. &*
Beca. loc. c.

II. Qui peccavit ex Conscientia erronea, etsi in
 rigore non teneatur, rectius tamen addet illam cir-
 cumstantiam in confessione, dicendo: Feci hoc, vel
 illud

illud, putans me facere contra præceptum vel obligationem gravem. *Cardin. de Lugo disp. 16. num. 503. num. 2. p. num. 49.*

A D D E N D A.

Questio I. Quale sit peccatum agere contra Conscientiam dicentem aliquid esse peccatum, non cogitando, an sit grave vel leve. *R.*

§. I. Si fiat cum comparatione animi, quâ hoc velit, siue sit mortale siue veniale, sic operans peccat mortaliter, non aliter ac si de eo dubitaret, tum quia exponit se periculo peccati mortalis, tum quia re ipsa amplectitur saltem indeterminatè malitiam mortalem, quam sufficienter cognoscit: Sed in praxi vix fiet, ut operans, qui cognoscit aliquid esse malum, ita abstrahat, uti innuit *S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 3.* Ratio est, quia quamvis reflexè non agnoscat esse mortale vel veniale, neque signatè discernat differentiam illam specificam, tamen conscientia semper se ita habet, ut vel multùm refugiat facere, & tum directè & exercitè fati apprehenditur malitia gravis; vel non ita refugiat facere, sed quasi leve pertranseat, & tum apprehenditur malitia tantùm levis.

§. II. Si ponamus, quòd cognitio abstrahat à malitia mortali & veniali, & tantùm in genere dicet esse peccatum, *Az. Sayr. Bonac. Regm. Tann. alique cum Castrop. hic d. 1. pu. 3 n 6* Adhuc dicunt semper fore mortale, quia amplectitur malitiam venialem & mortalem, cum feratur modo indifferente ad utramque: Quòd si cognosceret malitiam in certa specie, sed non cognosceret, an venialis esset an mortalis, *Vasq. Merat: de peccatis d. 7. f. 7. Sanchez in Decal. l. 1. c. 1. n. 6.* Dicunt fore mortale aut veniale, prout fuerit objectum, unde si cum tali cognitione

gnitione v g. furetur rem levem, erit veniale, si furetur rem gravem, erit mortale, quia cum se determinet ad speciem furti, vult malitiam, quæ hic & nunc illi inest: hæ duæ sententiæ sunt probabiles, videtur tamen probabilius, quod docent *Nav. Val. Sal. Gran.* aliique multi cum *Oviedo* in 1.2.tr.4. *contr. v.1. pu.3 Gob. in Quin. tr.5.c.9.n. 84 Burgh. cent.1. cas.20.* & probabile agnoscunt *Sanch. supra, Dic. ast. de juram. d. 2.n.262. Diana p.3.tr.4.R. 162. & p.5. tr.5. R.31.* nempe in utroque casu venialiter tantum peccari, quia neque cognoscitur periculum peccati mortalis, neque obligatio magis inquirendi, neque indifferentia, quam objectum habet ad malitiam mortalem & venialem, neque absolute cognoscitur malitia mortalis, sed tantum malitia abstracta & communis mortali & veniali, ergo sic operans non est positivè indifferens ad malitiam utramque, sed tantum ad malitiam, quæ non excedit venialem: peccat tamen venialiter, quamvis non cognoscat malitiam esse venialem, quia ad peccandum venialiter satis est, quod cognoscat se peccare & non cognoscat se graviter peccare.

§. III. Si operans nollet attendere, an malitia esset mortalis aut venialis, ideoque operaretur quasi bonâ fide, cum metu peccati in genere, & ne sibi faceret scrupalos, aut ne fortè opus esset abstinere ab objecto proposito, nollet examinare vel de hoc audire; sic operans procederet malâ fide, per se loquendo, peccarèturque mortaliter, ob rationes n. 2. datas, & re ipsa in illum caderet istud *Psalmi 35. v. 4. Noluit intelligere, ut bene ageret; item illud Isaia 30. Nolentes audire legem Dei; qui dicunt videntibus, nolite videre; & aspicientibus, nolite aspicerenobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placens:* cujus autem speciei, & quomodo confitendum

6
sit peccatum, quod committens in genere tantum apprehendebat esse mortale, dicitur l. 5. n. 228.

Q. 2. Quid notandum sit circa divisionem Conscientia in rectam & erroneam. R. Sequentia,

5
§. I. Conscientia potest esse tam recta quam erronea vel Physicè vel Ethicè sive moraliter: Physicè recta est, quæ est conformis objecto, live quæ enunciat objectum, sicuti à parte rei est: Physicè erronea, quæ est difformis objecto & aliter enunciat, quàm à parte rei sit: Ethicè recta est, quæ est conformis appetitui recto, id est, beneordinato & disposito ad implendam omnem Dei legem, ideoque dicitur Ethicè, id est, in ordine ad mores recta, hinc etiam Aristoteles 6. Eth. c. 2. ait, *Activa mentis veritas est, quæ appetitui recto consentanea sit*: Ethicè erronea est, quæ est difformis appetitui recto.

6
§. II. Conscientia Physicè recta potest esse Ethicè erronea, v. g. si juvenis de homine, qui verè non est pater suus, prorsus temerè judicet, quod non sit pater suus, ideoque nolit eum honorare, formando sibi conscientiam hoc modo, *non teneor eum honorare ut patrem, qui verè non est pater meus, sed iste homo non est verè pater meus, ergo non teneor eum honorare*, hæc conscientia est Physicè recta, quia omnes illius propositiones sunt secundum se conformes objecto, attamen est Ethicè erronea, quia est difformis appetitui recto, & ideo secundum illam operans peccat, quia nempe quisque tenetur velle honorare eum, de quo prudenter dubitare non potest quin sit pater suus, etiam si fortè re ipsa non sit.

7
§. III Conscientia Physicè erronea potest esse Ethicè recta, uti patet à contrario, nam juvenis ille tenetur sibi formare hanc conscientiam, *illum honorare debeo, qui est pater meus, sed hic homo est pater meus, ergo illum honorare debeo*: hæc conscientia

cia est Physicè erronea, quia minor est falsa ac difformis objecto, est tamen Ethicè recta, quia est conformis appetitui recto.

§. IV. Conscientia propter ignorantiam invincibilem Physicè erronea, est Ethicè recta, uti jam insinuatum est, & probabitur à n. 734. E contra conscientia propter ignorantiam vincibilem Physicè erronea, non est Ethicè recta, quia est difformis appetitui recto, cum enim homo talis posset & deberet melius inquirere, id autem negligat, non excusatur à peccato, uti explicabitur à n. 42.

§. V. Divisio conscientiae in rectam & erroneam à Theologis potissimum intelligi deberet de Ethicè recta & erronea, quia conscientia ab illis praecipue consideratur in ordine ad mores, unde sola conscientia vincibiliter erronea deberet à Theologis dici erronea, cum illa sola sit Ethicè erronea, & in hac suppositione,

§. VI. Conscientia sic posset dividi cum *Terillo* in Regula morum q. 3. n. 77. Conscientia alia est recta, alia non recta: recta, alia est certa, alia tantum probabilis: certa, alia est talis cum evidentia, alia sine evidentia, v. g. per fidem: similiter probabilis, alia est conformis objecto & simul appetitui recto, alia est difformis objecto sed conformis appetitui recto, & ad hanc spectat invincibiliter erronea: è contra conscientia non recta, alia est erronea, quae nempe est difformis objecto & appetitui recto, alia temeraria, quae licet sit conformis objecto, tamen, quia formatur sine prudente motivo, est difformis appetitui recto.

§. VII. Quando conscientia communiter dividitur in rectam & erroneam, erronea autem subdividitur in vincibilem & invincibilem, conscientia recta sumitur strictissime pro Physicè & Ethicè recta.

Teril. autem sumit latiùs pro Ethicè recta, five sit Physicè recta five non, hinc secundùm *Teril.* conscientia recta sub se comprehendit invincibiliter erroneam, consequenter conscientia erronea, secundùm ipsum, non debet subdividi in vincibilem & invincibilem, sed tantùm partim in erroneam Physicè & Ethicè, partim in erroneam non Physicè sed Ethicè tantùm, quia nempe temeraria est, uti n. 10. dictum est. Et hæc notanda fuerunt pro solvendis difficultatibus postea proponendis.

Q. 3. *An dari possit conscientia invincibiliter erronea, maximè circa jus natura.* R. Potest, uti pluribus ostendetur à n. 719. & 720.

Q. 4. *An conscientia invincibiliter erronea non tantùm excuset à peccato, sed etiam dici possit verè conscientia, & formalis regula operationis.*

R. Negat *Elizalde* in doctrina morum in append. q. 9. item *Camargo* in Regula honest. mor. p. 1. l. 2. contr. 1. à n. 33. Sed rectè cum communi affirmat *Terillus* in Regula q. 35. assert 1. Ratio est I. quia omne iudicium hìc & nunc invincibiliter proponens regulam objectivam, five voluntatem Dei saltem permittentem, verè dicitur conscientia & formalis regula operationis honestæ, five iudicium illud sit verum five falsum, cùm enim omnis honestè operans agat secundùm regulam objectivam, debet habere iudicium proponens illam, ratione cuius iudicii honestas etiam refunditur in actum, uti à n. 14. dicitur, ergo hoc iudicium est verè conscientia & formalis regula, quamvis non sit conscientia recta, five vera materialiter. II. Iudicium verum, secundùm *Eliz.* est conscientia & formalis regula, ergo etiam invincibiliter erroneum, quia æquè proponit objectum sub ratione boni, æquè applicat regulam objectivam, æquè regulat & dirigit, ergo.

Q. 5.

De Conscientia.

Q. 5. An opus ex conscientia invincibiliter erronea factum sit etiam honestum & positivè bonum.
R. § 1. Negant aliqui cum *Elix.* l. 3. q. 4. l. 5. q. 18. & *Camargo* p. 1. l. 2. cont. 4 à n. 341. Sed rectè affirmat sententia communissima cum *Terillo* in *Reg.* q. 3. ubi n. 60. pro ea sententia refert *Almai.* *Cordub.* *Lorc.* *Duval.* *Sylvium.* *Malder.* *Pesant.* *VViggers.* *Suar.* *Az.* *Sanch.* *Vasq.* *Salas.* *Amic.* *Becan.* *Esp.* & certissimam vocat *Cardenas* in 1. *Crisi* disp. 56. n. 1307. eandem tenet *Gran.* 1. 2. contr. 2. tr. 1. d. 7. f. 1. addit tamen ejusmodi opus non fore supernaturale. Probat^{ur} auctoritate, nam *S. August.* de util. cred. c. 12. & l. 2. c. 18. de peccat. merit. item *S. Th.* 1. 2. q. 18 a. 9. docent omnes actus humanos in individuo esse vel bonos vel malos, sed actus factus ex ignorantia invincibili non est malus, uti fatentur adversarii, ergo est bonus; quod *S. August.* Probat in puero, qui honorat illum, quem per errorem invincibilem putat esse patrem suum, puer enim in eo est secundum mores laudabilis, ergo actus ejus est moraliter bonus: item *S. Th.* q. 19. a. 6. expressè dicit idem esse, quærere, an conscientia erronea excuset, & an voluntas concordans rationi erranti liget, & consequenter fit bona adversarii autem plerumque concedunt conscientiam invincibiliter errantem excusare à peccato, ergo & debent concedere voluntatem concordantem rationi invincibiliter erranti ligare, adeoque esse bonam. Similiter *S. Bernardus* de præcepto & discip. c. 12. & 17. docet, obedientem vel operantem ex bona intentione, operari laudabiliter & meritoriè, quamvis fortè materialiter operetur contra legem Dei: idem docent alii SS. PP. quos expendit *Teril.* Ratio autem est, I. quia actus voluntatis specificantur ab objectis, non prout in se sunt, cum ita non attingantur, sed prout ab intellectu pro-

14

50

16

- ponuntur, ergo si objecta invincibiliter proponantur tanquam bona, refundent bonitatem in actus, maxime cum objectum formale hic sit vera honestas virtutis, quæ movet, sicuti si putem me dormiendo peccasse mortaliter, licet nullo modo peccarim, tamen occasione illius falsæ persuasionis possum elicere veram contritionem ex motivo bonitatis Dei à me aliàs offensi. II. Objectum, quod scitur esse indifferens, si ad finem bonum ordinetur, refundit bonitatem in actum, uti fatetur *Eliz.* l. 5 q. 18. §. 5. ergo multò magis illud, quod invincibiliter putatur esse bonum, sicuti enim malitia objectiva quasi separatur per illum errorem, ita moraliter additur bonitas. III. Judex ex motivo justitiæ condemnans innocentem, quem invincibiliter putat nocentem, exercet actum obligatorium & laudabilem, ergo positivè honestum & bonum: idem est de eo, qui pauperi donat nummum cupreum, quem invincibiliter putat esse aureum, hic enim tantundem meretur apud Deum, qui cor respicit, atque si fuisset aureus, nam IV. iidem sunt actus intellectus & voluntatis, sive adsit sive absit error, v. g. sive hostia sit, sive non sit consecrata, eosdem actus adorationis habeo, ergo si in casu hostiæ consecratæ actus meus est positivè bonus, etiam est talis in casu non consecratæ, quando error est invincibilis. *Conf.* nam redditio debiti conjugalis est actus præceptus, licet fortè matrimonium sit nullum, uti constat ex *Cap. Inquisitioni*, de sent. excomm. & *Cap. Dominus*, de 2dis nuptiis, ergo certò est conformis voluntati Dei saltem secundariæ. Aliam rationem à priori vide n. 747.
- §. II. *Objicies* 1. Actus bonus debet proficisci ex ratione recta, uti expressè docent *S. August.* de util. cred. c. 12. & *S. Th.* q. 19. a. 3. Sed actus proficiscens ex aliquo errore, non est ex ratione recta, ergo. R. Actus bonus

bonus debet proficisci ex ratione recta, saltem re-
 flexa, proximè dirigente actum, c. ex ratione recta,
 directa, remotè se habente ad actum, subdistinguo,
 debet proficisci ex ratione directa semper Physicè
 recta, n. saltem Ethicè recta, c. maj. & similiter di-
 stinctâ min. n. consequentiam. Qui honorat ho-
 minem, quem falsè, attamen prudenter putat esse
 patrem suum, habet duas quasi conscientias, prima
 est directa & sic dicit, parentes honorare debeo, hic
 est meus parens, ergo hunc honorare debeo: altera
 est reflexa & sic dicit, honorare debeo illos, quos ju-
 dicare debeo esse parentes meos, sed hunc hominem
 judicare debeo esse parentem meum, cùm de eo mi-
 hi non liceat dubitare, ergo hunc hominem hono-
 rare debeo: prior illa directa conscientia est & ma-
 net Physicè erronea, est tamen Ethicè recta, quia di-
 rigit ad actum laudabilem & bonis moribus confor-
 mem, quamvis remotè tantùm dirigat, dando occa-
 sionem posteriori conscientia reflexa, quæ pruden-
 tissimè formatur propter circumstantias prioris con-
 scientia invincibiliter erronea, & sola illa reflexa
 conscientia est dictamen ultimum proximè regulans
 actum, estque ratio rectissima & certa: ubi in si-
milibus casibus observandum est, quòd conscientia
 illa directa, quando dicit objectum malum esse li-
 citum, ideo sit Physicè falsa, quia dicit objectum
 non esse materialiter malum, v. g. non esse materia-
 liter injustum, si Judex condemnet hunc hominem,
 quem tamen supponimus esse innocentem; è con-
 trà conscientia reflexa proximè dirigens Judicem,
 non dicit hoc non esse materialiter injustum, sed di-
 cit non esse injustum formaliter, quia nempe invin-
 cibiliter ignoratur innocentia, & juridicè probatus
 est nocens; atque ex his clarissimè patet, quomodo
 conscientia directa & reflexa non sint de eodem ob-
 jecto affirmato vel negato.

Obj.

- 22 *Obji. 2.* Actus bonus debet dirigi à prudentia, sed actus circa objectum malum non potest dirigi à prudentia, quia dirigitur ab errore intellectus, ergo. R. n. min. & patet falsitas, tum ex jam dictis, tum ex dicendis à n. 97. ubi ostendemus opinionem etiam falsam posse à prudentia imperari, atque etiam sapientem errare posse. *Instabis* recta ratio, quam requirit prudentia, habetur tantum per conformitatem intellectus ad rem, ergo ubi actus est difformis rei in se, non est prudens. R. n. Anteced. cum S. Th. supra ad 3. ubi sic habet, *verum intellectus practici aliter accipitur quam verum intellectus speculativi, uti dicitur 6. Eth. c. 2. nam verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem... verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum, five ad voluntatem bene dispositam in ordine ad implenda omnia Dei praecepta, sed certum est, quod voluntas talis saepe per accidens imperet actus difformes rei, nam si invincibiliter judicem me peccare, si non elevem crucem stramineam, certum est me peccare, si non elevem, ideoque recta ratio & prudentia imperat, ut elevem, quamvis certum sit, quod non elevare, in se non fit peccatum, ergo.*
- 24 *Obji. 3.* Absurdum est dicere, quod voluntas mentiendi possit unquam à Deo exigere praemium, quia mendacium est intrinsecè & necessariò semper displicens Deo, ac consequenter voluntas mentiendi non potest esse aliquid placens Deo. R. Absurdum est dicere, quod voluntas mentiendi possit, per se loquendo, à Deo exigere praemium, e., per accidens, si mendacium invincibiliter repraesentetur ut bonum & obligatorium, n. *Nec obstat*, quod mendacium sit objectum intrinsecè displicens Deo, nam non repraesentatur esse tale, sed apparet bonum, ideoque voluntas
- 25

Voluntas non tendit in objectivam malitiam, quæ inest, sed in bonitatem, quæ per errorem putatur inesse, sicque terminat volitionem, ac si re ipsa inesset. ergo licet mendacium maneat in se materialiter malum, non ideo voluntas mentiendi erit formaliter mala, sed bona.

Inst. 1. Actus specificantur ab objectis, ergo ubi objectum in se est malum, volitio illius non potest esse bona. *R.* Specificantur ab objectis, semper prout in se sunt, n., etiam prout invincibiliter nobis representantur, c. ant. & n. conseq. maximè in electione voluntatis, cujus honestas desumitur præcipuè ab objecto formali motivo prout per intellectum proposito

Inst. 2. Bonitas Dei est prima regula omnis bonitatis moralis, sed voluntas mentiendi semper repugnat bonitati Dei, ergo nunquam est bona moraliter. *Conf.* Quia sicut se habet intellectus ad verum, ita voluntas ad bonum, ergo sicut implicat intellectum nostrum perfici per tendentiam in aliquid re ipsa difforme intellectui Divino, ita voluntatem nostram per tendentiam in aliquid re ipsa difforme voluntati Dei. *R.* n. min. Deus enim illam permittit, & potest ad illam esse obligatio sub peccato, ergo non repugnat voluntati saltem secundariæ Dei, ergo nec bonitati, vide dicenda n. 339. *Ad Conf.* dicam n. 706. intellectum etiam perfici posse per errorem probabilem: de cætero non esse omnimodam paritatem, debent adversarii fateri, nam omnis error est aliquod malum intellectus, & tamen volitio mali procedens ex ignorantia invincibili, secundum ipsos, non est ullo modo mala voluntati, sed tantum non bona.

Inst. 3. *S. Tb* q. 19 a. 6. ad 1. expressè dicit, ad hoc, ut aliquid sit bonum requiri, ut & secundum suam

26

27

28

suam naturam sit bonum, & ut apprehendatur tanquam bonum, sed mendacium secundum suam naturam nunquam est bonum, ergo. R. S. Tb. Loquitur de illo, quod est absolute & ex omni parte bonum, non tantum formaliter sed & materialiter: tale autem mendacium non est quidem in se bonum, est tamen formaliter à volitione interna & honesta illud imperante & denominante bonum.

29 *Inst.* 4. Omnis voluntas bona est à Deo auctore, sed volitio mendacii non est à Deo auctore, ergo non est bona. R. 1. Retorquendo, omnis voluntas non mala est à Deo auctore, quia Deus est auctor omnium, præterquam peccati, sed volitio mendacii, secundum te, non est mala, ergo est à Deo auctore. R. 2. Omnis voluntas per se bona est à Deo auctore, c. , per accidens bona, n. , unde & ejusmodi mendacium, re ipsa absolute solum permittitur à Deo, id enim tantum dicitur absolute & simpliciter intendi à Deo, in quod Deus per se & ex lege seu voluntate primaria fertur.

30 *Inst.* 5. Saltem Deus præcipiet mentiri, nam non mentiendo peccaret, ergo hoc esset contra aliquod Dei præceptum, quia omne peccatum est contra Dei legem. R. Præceptum Dei est hoc, *faciendum est, quod Deus præcipit*, cui præcepto contraveniret non mentiens, quia invincibiliter putat Deum hoc præcipere: male autem sic subsumit, *sed Deus præcipit mentiri*; quod per accidens est, & per errorem invincibilem excusatur: videri potest *Eliz.* l. 5. q. 18. §. 3. Item dicenda n. 43. nam illa difficultas est etiam ab adversariis solvenda.

31 *Obi.* 4. Deus nullam falsam religionem recte colitur, ergo nec colitur opere malo, quamvis quis putet esse bonum. R. Si sensus antecedentis sit, quod nulla falsa persuasio possit esse fides Theologica & supernaturæ

naturalis, e., quia fides illa debet niti auctoritate Dei & esse circa objectum verè revelatum: si autem sensus sit, quòd nulla persuasio falsa possit esse intellectuale obsequium Deo placens, n., quia honestas, quæ est objectum formale virtutis moralis, potest convenire objecto materiali tantùm existimato, & ideo actus, quo credo aliquid, quod puto esse revelatum, utique Deo gratus est, quamvis fortè illud à parte rei non sit revelatum.

Obji. 5. Peccator, qui bonâ fide putat vel se esse in gratia vel actum suum esse meritorium ut octo, non ideo per suum actum meretur cœlum de condigno, nec præmium ut octo, ergo similiter qui bonâ fide putat se bene operari, non ideo bene operatur. R. n. conseq. Priora judicia habent se planè per accidens & impertinenter ad meritum, neque sunt regula vel mensura illius, sive enim adsint sive absint, meritum est idem: è contrà conscientia non habet se per accidens & impertinenter ad honestatem operationis nostræ, sed est regula ac mensura illius, si enim diceret aliquid esse malum, quamvis in se foret bonum, propter conscientiam refunderetur malitia in actum, ergo patet, quòd conscientia se ad honestatem operationis aliter habeat, quàm ista judicia ad rationem meriti.

Obji. 6. Si ab errore refundi possit bonitas in operationem, ergo operatio regulata per errorem erit æquè perfecta, atque si reguletur per actum verum, certum & evidentem. R. cum Terillo suprâ q. 4. universaliter negando seq., nam I. operatio per cognitionem certam & evidentem regulata, est cæteris paribus melior illâ, quæ regulatur per cognitionem veram & incertam, nam imprimis cognitio perfectior constituit actum primum perfectiorem, ergo sequitur etiam actus secundus perfectior: deinde
cognitio

32

33

cognitio certior firmitus applicat medium fini, facitque voluntatem esse alacriorem: præterea ratio voluntarii respondet cognitioni, ergo quod cognitio est perfectior, tantò est major ratio voluntarii, ergo tantò perfectior actus voluntatis: quod etiam à posteriori colligitur, nam etiam ideo amor beatificus est perfectior amore viæ, quia ille dirigitur à perfectiore cognitione. II. Operatio, quæ regulatur à cognitione certa & evidente, est cæteris paribus melior, quàm quæ regulatur ab errore invincibili, nam illa, quæ regularetur à cognitione vera sed tantum probabilis, esset imperfectior, uti jam dictum est, ergo etiam est imperfectior, si reguletur ab errore invincibili, qui solum probabilis esse potest. III. Operatio regulata ab errore invincibili, cæteris paribus, tam bona est, quàm operatio regulata à cognitione vera sed tantum probabilis, quia actus probabilis erroneus est intrinsecè tam perfectus, quàm probabilis verus, denominatio enim veritatis formalis est partim extrinseca, accidentaliter conveniens actui, qui verus est, idem enim numero actus potuisset esse falsus: hinc si duo fratres putent Titium esse patrem suum, unus verè, alter falsò, & similiter honore afficiant Titium, uterque, cæteris paribus, operatur æquè honestè.

34

Q. 6. An peccet formaliter, qui invincibiliter putat actum internum non esse malum, & tamen cognoscit objectum talis actus esse malum, v.g. qui desiderat fornicari, invincibiliter putans hoc desiderium internum non esse malum, quamvis sciat, quòd reipsa fornicari sit malum. R. § 1. Oviedo 1.2.1. 4. contr. 1. pu. 5. aliique dicunt peccare formaliter, si actu efficace in objectum tale tendat, I. quia scit fornicationem esse à Deo prohibitam, & nihilominus eam efficaciter ac liberè vult ponere; Item scit

se liberè velle ponere aliquid, quod scit esse peccatum, & quo scit violari legem Dei, ergo non potest non peccare formaliter. II. Ut quis formaliter peccet, non est opus reflexè cognoscere malitiam sui actus, sed satis est directè cognoscere malitiam objecti, & in eam per voluntatem efficacem liberè ferri, hoc ipso enim cum advertentia & libertate vult agere aliquid difforme legi Dei, ergo formaliter peccat. III. Tale desiderium stare nequit cum amore Dei, ergo est formale peccatum. IV. Actus internus & efficax desumit speciem suam ab objecto cognito, in quod fertur, ergo ubi objectum est & cognoscitur esse malum, actus internus efficax in illud tendens est malus.

§. 2. E. contrà *Gran.* de peccat. tr. 5. d. 3. 35
f. 2. *Sanch.* in Dec. l. 1. c. 16. n. 17. alique plures probabiliùs dicunt non peccare formaliter sed materialiter tantùm, quia licet desiderium illud sit ex objecto malum, attamen excusatur per errorem invincibilem, ex quo hìc & nunc prudenter format sibi dictamen, quo judicat desiderium sibi esse licitum, nemo autè peccat per actum, quem hìc & nunc prudenter judicat sibi esse licitum, ergo. Loquor ex supposito, si daretur talis casus, nã fortè est impossibilis.

§. 3. *Ad 1.* Rationem &. Scit se velle ponere aliquid, quod scit esse peccatum, prout objicitur illi desiderio, n., quod scit esse peccatum, si à parte rei poneretur, c., prudenter enim judicat Deum non offendi per fornicationem volitam præcisè, sed tantùm per illam à parte rei positam. *Nec obstat*, quòd velit illam ut ponendam à parte rei, nam cum hoc stat, quòd adhuc prudenter judicet Deum non offendi illà ut ponendam præcisè, sed tantùm ut exercitè posità, sive, tantùm posito ipso exercitio, quod de facto non conjungitur cum illo desiderio. *Ad 2.* Quamvis ad formaliter peccandum
B
NON

36

37

non sit opus reflexè tendere in malitiam actus, tamen vel debet hoc directè & exercitè cognosci, vel saltem non debet invincibiliter judicari, quòd per illum actum non peccetur, alioquin peccaret quis agendo ex conscientia, quâ prudenter judicat se ita agendo non peccare, quod absurdum est. *Ad 3. n. antec.* quia prudenter judicat illud desiderium stare cum Divina amicitia. *Ad 4.* Actus internus desumit ab objecto speciem saltem materiale, error autem invincibilis hìc facit, ut species malitiæ formalis non refundatur, sicuti non refunditur in actum, cui deest libertas, quamvis etiam ille ab objecto desumat speciem malitiæ materialis.

39 *Q. 7. An peccet ille, qui habet legitimam excusationem v. g. qui excusatur à Missa audienda in die festo, dicitque se eam audire non posse; at tamen etiam se scire, quòd peccet non audiendo. R. §. I.* Si absolutè non posset audire v. g. quia detineretur in carcere, vel esset in loco, ubi Missa non legitur, non peccaret omittendo, quamvis judicaret se peccare, quia non habet libertatem ad audiendum.

40 *§. II.* Quamvis absolutè non posset, si tamen non vellet audire Missam independentem ab illo impedimento, peccaret, non quidem per omissionem, ad quam non est liber, sed per voluntatem omittendi independentem ab impedimento, hæc enim comparatio animi est libera & mala.

41 *§. III.* Si absolutè quidem posset, at tamen ob justam excusationem v. g. ob febrim non teneretur adire Ecclesiam pro Missa audienda, & nihilominus judicaret se peccare nõ adeundo, probabilius est, quòd peccaret ex conscientia erronea, si non adiret; quia simpliciter in ejus potestate esset Missam audire, & judicaret se teneri audire, ergo non audiendo ageret contra conscientiam, ergo peccaret, ita *Dicast. de juram. d. 2. n. 234.*

Q. 8. An Conscientia vincibiliter erronea sit 42
judicium, obligetque operantem. R. §. I. Esse ju- * certum
 dicitur adhæsiuè certum docet *Terill.* hîc q. 17. assert.
 3. quia alioquin operans non teneretur illam sequi:
 certum esse negat *Carden.* in 1. Crisi d. 66. à n. 283.
 quia error vincibilis videtur semper habere adjun-
 ctam rationem dubitandi, quæ pulset animum in
 contrarium, alioquin reipsa vinci non posset, uti
 notant *Suar. Vasq.* aliique cum *Sanch.* in Dec. l. 1. c. 1.
 à n. 7. & c. 16. n. 21. ; sententiæ illæ faciliè concilian-
 tur, nam *Teril.* loquitur de operante ex errore vin-
 cibili præterito, quem non ampliùs actu advertat:
Carden. autem & alii videntur loqui de operante ex
 errore, cujus vincibilitas actu advertitur.

§. II. Multi cum *Vasq.* 1. 2. d. 60. c. 2. dicunt hominem 43
 vincibiliter errantem non obligari positivè sequi
 conscientiam erroneam, sed ex supposito, quòd
 eam habeat, tantùm teneri non agere contra eam,
 absolute autem teneri eam deponere; è contrà *Te-
 ril.* aff. 2. dicit, si quis non habeat actuale dubium,
 sed ex suppositione erroris vincibilis dictamen ad-
 hæsiuè certum, secundùm dicta n. 42, illud obliga-
 re, & hæc videtur esse expressa mens *S. Th.* apud *Te-
 ril.* ratio autem est, quia tenetur quivis se confor-
 mare ultimo dictamini, quod hîc & nunc habet;
 hinc addit per actum, quem tunc ponit, non con-
 trahi formalem malitiam specialem tunc ignoratam,
 aut circa quam erratur, sed in ista specie peccari tan-
 tùm denominativè, ratione negligentia antecedentis
 in vincenda ignorantia. Hæ omnes sententiæ
 sunt probabiles & potius de nomine, quàm de re,
 unde & parum faciunt ad praxin. An autem con-
 trahatur malitia, si propter ignorantiam vel erro-
 rem non fuerit præcognita, dicemus hîc n. 755. &
 pluribus l. 5. à n. 16.

B 2

Obj.

Obj. Si conscientia vincibiliter erronea obliget; ergo talis homo sub peccato tenebitur peccare. R. Per accidens tenebitur ponere actum materialiter malum, quando aliter vitare non poterit peccatum formale contra conscientiam, cujus dictamen reflexum est hinc & nunc certum, sicque formatur, *peccatum est ratione sui imputabile, non sequi dictamen conscientia, quo quis absolute credit se debere hinc & nunc aliquid facere, sed ego hinc & nunc absolute credo me debere mentiri, ergo.* Vide dicenda l. 5. n. 21.

Inst. Conscientia obligans debet esse conformis Dei voluntati, sed conscientia supponens errorem vincibilem non est conformis Dei voluntati, ergo. R. Esse conformem Dei voluntati per accidens obliganti, nam supposito errore, quod per accidens est, Deus vult, ut quisque se suae conscientiae conformet. Vide dicta n. 29.

44

Q. 9. An illa conscientia sit attendenda, quae post actum sequitur. R. Non est attendenda, hinc errant, qui post actum commissum, antequam accedant ad confessionem, inspiciunt libros vel inquirent, an hoc vel illud, quod fecerunt, sit peccatum, & an ideo confiteri debeant, haec enim subsequens opinio, quam sibi formabunt, non potest facere, ut actio praecedens fuerit vel non fuerit peccatum: similiter aliqui volentes confiteri frustra petunt à suis confessariis, an hoc vel illud agendo peccaverint, nam utrum peccaverint, necne, pendet à conscientia quam habuerunt, dum agebant, hanc autem ipsi scient & ab illis discet confessarius, si enim operati sunt bonâ fide & ex ignorantia aut errore invincibili, non peccarunt, si malâ fide, ex notitia peccati, aut ex dubitatione practica, ex ignorantia aut errore vincibili, peccarunt: rectè tamen quæri possunt talia

ad alios fines, v. g. pro actionibus dirigendis in futurum, ut talia, si in se mala sunt, non amplius faciam, si mala non sunt, ut in eis non timeam peccatum; item ad tollendum scandalum, si aliquod dedi per talem actum, aut ut resciam, an fortè propter talem actum obliger ad aliquam restitutionem &c. ita *Sporer* hìc n. 33.

CAPUT II.

45

De Conscientia Dubia.

DUBIUM I.

Quid sit Conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum?

Resp. I. Dubium, est suspensio assensùs circa objectum apprehensum. Idque est duplex: Speculativum seu Universale, quando in genere dubitatur, v. g. an contractus usurarius sit licitus; an die festo liceat venari, piscari, pingere, &c. Et Practicum, seu Particulare, cum dubitatur, an his circumstantiis, v. g. hoc festo liceat mihi venari. Ex quo patet, quid sit Conscientia practicè dubia, scilicet, quæ practicè dubitat; speculativè dubia, quæ speculativè. Ita *Navar. Laym. Sanch. Bec. t. 1. c. 4. q. 8.*

67 ad 77.

Resp. II. Qui cum Conscientia practicè dubia operatur, peccat: & quidem peccato ejusdem rationis ac speciei, cujus est peccatum, de quo dubitat. Ita *Sanch. Bon. to. 2. d. 2. q. 4. p. 7. nu. 3.* Ratio prioris est, tum quia is exponit se periculo peccati: tum quia, quod non est ex fide, est peccatum, id est, quod non fit cum determinato iudicio Conscientiæ, esse licitum. Idque verum est, etiamsi speculativè

46 ad 67

77.

"tivè non dubitet: v. g. Certus sum, absolute lici-
 "tum esse die festo docere; dubito tamen, an hic
 " & nunc mihi liceat, pecco docendo. Ratio poste-
 "rioris patet, tum ex ratione prima data, tum ex
 " dictis de Conscientia erronea, quia habet affe-
 " ctum ad peccatum ejusdem rationis: Unde si du-
 " bites, an sit mortale, peccas mortaliter: an sit fur-
 " tum, committis furtum, &c. Si dubites, si ne
 " peccatum, (sive mortale, sive veniale) ita ut ma-
 " litia in confuso proponatur, dicit *Vasq. 1. 2. d. 5. 9.*
 " c. 3. & alii, esse mortale, quod negat *Navar. Va-*
 " lent. &c. Vide *Banac. Laym. l. c.*

2. 3. 4.

78. 79 80.

" Resp. III. Qui practice dubius est circa aliquod
 " opus, tenetur se resolvere: Et quidem non per fo-
 " lum affectum & voluntatem: (hoc enim non suf-
 " ficere rectè docet *Vasq. Sanch. l. 1. mor. c. 10. n. 4.* &
 " alii communiter contra *Cajet.*) quia adhuc expo-
 " neret se periculo peccandi, sed per motivum ratio-
 " nabile, quale est, 1. Ratio probabilis, 2. Exem-
 " plum bonorum virorum sine scrupulo sic ope-
 " rantium, *Sanch. Ben. l. c. 3.* 3. Autoritas viri ali-
 " cujus docti & pii. Quòd si tamen dubium sine ra-
 " tione & justa causa temerè conceptum esset, posset
 " etiam sine nova ratione deponi. Et ita explicari
 " potest *Cajetanus.*

81. ad 87.

" Resp. IV. Si dubium oriatur ex obligationibus
 " & præceptis contrariis, v. g. utrum quis die festo
 " teneatur apud ægrotum manere omisso Sacro, an
 " verò Sacrum audire, tenetur se resolvere, & pru-
 " denter judicare, hic & nunc alterum obligare, &
 " alterum sibi licitum esse: alioqui enim exponet se
 " periculo peccandi.

" Ut verò id rectè fiat, hæc servanda sunt 1. Exqui-
 " rat aliorum consilia, si potest. 2. Si non potest, v.
 " g. quia solus est, vel quia ex confessione rem intel-
 " lexit,

lexit, consideret, quantum res & tempus fert, utrum ex duobus illis sit vel videatur minus malum, idque eligat, & non peccabit: v. g. in casu prædicto, minus malum est, omittere Sacrum, quam deserere infirmum, quia de Sacro audiendo est præceptum affirmativum tantum, & juris humani; at de infirmo est negativum, & juris naturalis, *Sanch. Bec. l. c. 3.* Si utrumque videatur æquè grave, utrum volet, absque peccato eliget, ob defectum libertatis. Quod verum est, etiamsi culpabiliter in istam perplexitatem se coniecisset, modo de culpa præterita doleat. Ratio est, quia alioqui ad impossibile obligaremur, quod nec Deus exigit, nec fieri potest; ideoque tum cessat obligatio minor: vel si sint, aut videantur æquales, utraque liber. vid. *Laym. l. c. ca. 4 n. 4. & 5. Fil. t. 21. c. 4. Bon. l. c. p. 6. n. 27.* 88

F 84

F 82

A D D E N D A.

Q. 10. An dictamen conscientia debeat esse certum; R.

46

§. I. Dictamen speculativum, quale est v. g. *pingere die festo non est servile*, non necessario debet esse certum, sed sufficit esse saltem probabilius, & hoc tantum volunt multi ex antiquis, quos refert *Oviedo* 1. 2. t. 4. *controv. 1. n. 6.*, nec aliud volunt *Vasq. & Sanch.* uti rectè *Terillus* de consc. prob. q. 13. n. 1. licet aliqui eos citent in contrarium: aliud etiam non vult *Suar.* uti patet ex illis, quæ habet in 1. 2. tr. 3. d. 12. f. 3. n. 2. Item f. 5. à n. 2.

§. II. Ad honestè operandum debet dictamen ultimum & practicum esse saltem moraliter certum, ita DD. omnes communiter cum *Cardena* in 1. Crisi d. 15. c. 4. n. 238. *Illf. t. 1. d. 1. a. 2. & Terillo* supra,

47

B 4

prà,

præ, item in Reg. mor. q. 40.; est autem partim contra
 Eliz. 1. 3. q. 1. & 2. & 18. §. 4. Gonz. d. 4. à n 82. Aucto-
 rem Synopsi n. 121. Camargo p. 1. l. 2. controu. 4. à
 n. 177. qui dicunt sufficere iudicium practicum pru-
 dens: partim contra aliquos recentiores, qui ex-
 pressè docent ad honestè operandum sufficere, quòd
 dictamen ultimum etiam practicum sit tantum pro-
 babile vel saltem probabilius: Taber. c. 3. dicit suf-
 ficere probabile, dummodo iudicetur absolutè ve-
 rum: quid *Ess.* sentiat, non satis liquet, nam in ap-
 pend. a. 197. dicit non requiri, ut dictamen ultimum
 & reflexum habeat certitudinem, postea a. 200. di-
 cit ultimum dictamen quòd reflexivum habere perfe-
 ctam certitudinem; quidquid sit de illo, responsio
 48 nostra *Probat*, nam in primis ita videtur docere
S. Th. quodl. 8. a. 13. O. ubi ad conscientiam requi-
 rit, ut in nullam dubitationem adducatur: simili-
 ter 1. 2. q. 19. a. 5. Conscientiam vocat applicatio-
 nem scientiæ ad actum, & de verit. q. 17. a. 2. ad 2.
 dicit conscientiam includere scientiam. *Ratio* autem
 est I. quia qui operatur ex iudicio practico tantum
 probabili, scit iudicium, quo nititur, posse esse fal-
 sum, ergo non est certus se non peccare formaliter,
 ergo sic operando se exponit periculo peccandi for-
 maliter & virtualiter contemnit legem, ergo peccat.
Neque dicas cum Eliz. q. 2. §. 5. esse tantum peri-
 culum remotum, quod vitare non tenemur, nam
 revera est proximum, cum omnes sic operando
 semper agnoscant periculum, quòd semper est con-
 junctum, adeoque semper formidare debeant, ne
 peccent. *Conf.* quia ultimum dictamen conscientia
 debet esse tribunal irrefragabile, coram quo homo
 sine dubitatione vel condemnatur ut nocens vel ab-
 solvatur ut innocens, sed dictamen tantum proba-
 bile non est irrefragabile, cum possimus illud nega-
 re;

re, utpote non convincens nec necessitans intellectum, ergo. II. Qui habet suspensionem vel scrupulum peccati, debet prius se resolvere saltem exercite, sicut enim Cap. *per tuas*, 2. de *simonia*, dicitur esse peccatum operari contra conscientiam scrupulosam, nisi prius scrupulus deponatur sive conteratur; item cap. *Inquisitioni*, 44. de *sent. excomm.* dicitur, quod conjux habens conscientiam ex credulitate levi ac temeraria de impedimento dirimente possit exigere debitum, si tamen ad Pastoris sui consilium vel aliter explodat credulitatem illam levem ac temerariam, atqui opinans tantum probabiliter aliquid esse licitum, merito habet plus quam suspensionem, scrupulum vel credulitatem vanam de eo, quod idem sit illicitum, agnoscit enim pro hoc esse motiva gravia, hinc prudenter formidat, ne sit illicitum, ergo nisi aliunde se certificet de honestate operationis, sic operando peccat. III. Ut excludatur periculum peccandi, debeo cognoscere hoc ipsum esse verum, quod operando secundum dictamen probabile, non peccem, sed per solam hanc ultimam cognitionem dirigetur mea operatio, ergo hæc sola ultima cognitio erit dictamen practicum, idque certum, ergo adhuc ad prudenter operandum prærequiritur dictamen practicum certum. Vide dicenda n. 66. *Dixi*, debere esse saltem moraliter certum, nam impossibile est de omnibus agibilibus habere dictamina Metaphysicè aut Physicè certa, ergo cum Deus non jubeat impossibilia, satis est habere moraliter certa, uti communissimè omnes cum *Moya* de op. prob. n. 57. contra *Palav.* de fide n. 72. qui requirit iudicium Metaphysicè evidens; sed *contra* est, quia ubi adest moralis certitudo, non manet locus prudenti dubio vel probabilitati in oppositum, ergo tum verè operor *ex fide*, adeoque secundum debitum conscientie.

51 §. III. *Objicies 1.* S. Tb. 1. 2. q. 96. a. 1. postquam sibi objecisset, quod lex, utpote mensura, debeat esse certissima, *Rdet ad 3.* quod in rebus contingentibus & humanis sufficiat talis certitudo, ut aliquid sit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus, id est, sufficere, ut sit probabilius; sed quod dicitur de lege, æquè aut magis valet de dictamine conscientiæ, ergo, ita *Eliz. R.* n. min. quamvis enim ad legem humanam sufficiat, quod probabilius enunciet verum, tamen id non sufficit ad operandum secundum legem humanam, quia cum legislator humanus possit falli & fallere, non evitaretur periculum peccandi formaliter, & ideo ad licitè operandum secundum legem humanam, necesse est ex motivis reflexis sibi formare dictamen ultimum, uti explicabitur à n. 303.

52 *Obji. 1.* Si ad licitè operandum prærequiritur dictamen certum de honestate operationis, ergo certi sumus nos non peccare operando, ergo certi esse poterimus de statu gratiæ, quod est contra scripturam, dicentem nescire hominem, an amore an odio dignus sit, item contra eandem scripturam & SS. PP. frequentissimè dicentes, viam justorum esse inter spem & metum, neque nos scire posse, an Deo placeamus, ita *Eliz. l. 8. q. 3. §. IV. R.* Ergo certi sumus nos non peccare operando hunc actum, & nos non peccasse operando alios actus, n. primam & secundam seq. fortè enim aliàs operati sumus cum dubio vel ex temeritate vel cum ignorantia vincibili; item, si antehac peccavimus, jam non possumus esse certi de efficacia contritionis nec de valore Sacramenti suscepti, ergo non sumus certi de statu gratiæ, sed stamus inter spem & metum.

53 *Inst.* Saltem in nobis non dabuntur peccata occulta

culta vel dubia, neque scrupuli. *R. n. aff.*, nam in primis posuimus peccasse & peccatorum esse obli-
 quæ peccata utique erunt occulta: deinde cum non
 semper ita perceptibiliter formemus dictamen re-
 flexum, sæpe dubitamus, an satis formaverimus no-
 bis conscientiam practicam; item, quia operamur
 quandoque cum timore peccati materialis, dubita-
 mus, an etiam non processerimus cum timore pec-
 cati formalis; item, nescimus, an semper satis re-
 stiterimus tentationibus &c., & hæc sunt peccata
 dubia: denique adhuc facilius sunt scrupuli cum hi
 sint anxietas consistens cum certitudine conscientia,
 uti c. 3. dicitur: & simili modo quandoque experi-
 mur quasdam tentationes in fide, quæ nos reddunt
 anxios, afferuntque formidinem levissimam de op-
 posito, quamvis certò credamus omnia, & inde eti-
 am esse possunt scrupuli.

Obji. 3. Quando objectum est probabiliter pro-
 hibitum, habeo hoc iudicium, *non sum certus,*
quòd Deus illud non prohibuerit; & tamen simul
 deberem habere etiam hoc iudicium, *certus sum*
me non peccare prosequendo hoc objectum, atqui il-
 la duo iudicia pugnant inter se, ergo non possum
 habere iudicium certum, quòd non peccem. *R. n.*
min., non enim sunt de eodem secundum idem, nam
 primum iudicium pro objecto habet actum secun-
 dum se, prout substat dubiæ prohibitioni; secun-
 dum iudicium pro objecto habet actum, prout sub-
 stat circumstantiis invincibiliter ignoratæ prohibi-
 tionis, libertatis, quæ possidet, &c., uti in dub. seq.
 explicabitur: & ita iudex condemnando hominem
 secundum allegata & probata, habet hæc duo iudi-
 cia, *certus sum me non peccare condemnando;* *non*
sum certus, quòd hæc condemnatio non sit prohibita,
 nam posset esse contra jus hominis fortasse re ipsa
 innocentis.

Obji.

54

vide n. 21

55 *Obji. 4.* Ad cavendum periculum formaliter peccandi, satis est, si præmissâ morali diligentiam faciam id, quod mihi videtur honestum, sed etiam si præmiserim illam diligentiam, non semper erit mihi certum, quod honestè operer, ergo. *R.* Non erit mihi certum ex vi iudicii directi & speculativi, c, non enim semper inveniam certam rationem pro honestate objecti: non erit mihi certum ex vi iudicii reflexi & practici, n, si enim omnibus consideratis sit mihi probabile, quod sit licitum, hoc ipso reflexè & practicè certò iudicabo hoc mihi esse licitum, uti magis explicabitur ad dub. seq.

56 *Inst. 1.* Rudes semper peccabunt, non enim formant sibi eiusmodi ultima dictamina certa. *R.* n. aff., nam interrogati, cur non peccent hoc vel illud faciendo, respondent, se ideo non peccare, quia faciunt, quod putant sibi licitum, & hoc re ipsa est dictamen ultimum reflexum.

57 *Inst. 2.* Nullus homo potest esse certus, quod in ultimo etiam illo iudicio procedat sine passione, ergo nullus homo potest habere iudicium practicum certum, ita *Gonz. R. 1.* multò minùs potes esse certus, quod in iudicio directo etiam probabiliore ita procedas, ergo nunquam ex vi iudicii etiam probabilioris certò honestè operaberis. *R. 2. n. anteced.* quia experior me procedere bonâ fide, ergo habeo moralem certitudinem, quod non procedam ex passione, etiam si fortè habeam ignorantiam, inadvertentiam aut errorem inculpabilem circa veritatem objecti, sicuti in se est.

58 *Obji. 5.* Operans ex iudicio prudenti non peccat, quia operatur prudenter, sed operans ex iudicio probabili operatur ex iudicio prudenti, quia iudicium probabile est prudens, quamvis enim fortè non sit verum, tamen illi adest rationale motivum & abest

& abest omnis temeritas, ergo operans ex judicio probabili non peccat. *R.* Operans ex judicio prudenti removente periculum peccati formalis, non peccat, c, ex judicio prudenti sed non removente periculum peccati formalis, n. maj. vel potius ejus suppositum, nam si in istis circumstantiis sit practicum, non est prudens, nam imprudenter facit, qui se exponit periculo formaliter peccandi, quod fit, si operetur immediatè ex judicio tantum probabili.

Inst. 1. Dictamen probabile est sufficiens ad excludendam omnem conscientiam peccati, quia operans ex illo sic dicit, est mihi licitum pingere die festo; sed impossibile est, ut cum illo judicio stet alterum, quo dicat, pecco pingendo die festo, ergo. *R.* n. antec., talis enim per judicium directum cum formidine dicit, est mihi licitum pingere, hinc non potest quidem per simile judicium directum dicere, pecco pingendo, attamen per judicium reflexum tendens in eam formidinem prioris judicii, & in cognitum periculum peccandi, debet dicere se peccare pingendo, quia cognoscit, quod exponat se periculo peccandi, statque hoc judicium cum priore, quia est de alio planè objecto.

Inst. 2. Judicium directum de honestate operationis necessariò fundat & post se trahit judicium reflexum ac certum de eadem honestate, ergo excludit formidinem peccati, ergo se solo sufficit ad honestam operationem. *R.* 1. n. antec., quamvis enim, si judicem probabile esse, quod pingere non sit servile, ex vi hujus judicii impediatur, quominus judicem prohibitum esse, ut pingam, quia est servile; attamen adhuc potero judicare esse periculum peccati formalis, si pingam, & sic pingens peccabo, quia exponam me periculo peccati formalis. *R.* 2. Cum *Terillo*, distinguendo 1. seq., ergo excludit fundamenta

- mentaliter formidinem peccati, id est, fundat iudicium reflexum, per quod formido illa excludatur, & excludit formaliter & seipso, n. 1. & 2. seq.
- 62 *Inst.* 3. Si iudicium illud reflexum esset impossibile, licite operaretur ex iudicio directo saltem probabiliore, ergo etiam nunc. *R.* n. antec., quia operans cum tali formidine peccati, non operaretur bona fide, uti recte *Terillus*.
- 63 *Obji.* 6. Operans ex conscientia invincibiliter erronea non peccat, sed talis non operatur ex dictamine certo, quia dictamen illud nequidem est verum, ergo, ita *Eliz.* q. 18. §. 4. *R.* n. min. nam sic operans habet duplex iudicium, unum directum, quod v. g. sic format, quando mendacio potest impediri iniustum homicidium, licitum est mentiri, sed hic potest mendacio impediri iniustum homicidium, ergo hic licitum est mentiri; hoc iudicium est falsum, sed inculpabiliter mentiens non operatur proxime & immediate ex hoc iudicio, verum ex alio reflexo, quo sic dicit, mentiens, quando invincibiliter iudicat esse mentiendum, non peccat, sed ego hic & nunc mentiens pro impediendo homicidio, invincibiliter iudico mihi esse mentiendum, ergo non pecco: hoc ultimum iudicium est certum, ex quo proxime & immediate regulatur mea operatio.
- 64 *Obji.* 7. Missionarius licite adit barbaros nudos spe convertendi, quamvis probabiliter tantum iudicans se non inducendum ad peccatum: similiter medicus licite adhibet dubia medicamenta, quamvis tantum probabiliter sperans fructum, ergo similiter licite operabor, tantum probabiliter iudicans me non peccaturum. *R.* n. conf., nam etiam uterque certus est de honestate suae operationis, Missionarius quidem ex vi huius dictaminis; honestum est pro salute proximi se exponere periculo peccandi remoto

remoto, maximè quia ita operans ex charitate, merito sperat specialia Dei auxilia: Medicus autem ex vi illius; ubi desunt certa media, honestum est secundùm regulas artis adhibere dubia, quæ desperatis sæpe fuerunt salutis.

Obj. 8. Si ad licitè operandum requiritur iudicium certum de honestate operationis, ergo ad illicitè operandum etiam requiretur iudicium certum de inhonestate. *R.* n. seq., nam potius sequitur oppositum, hoc ipso enim quòd operer sine iudicio de honestate operationis, inhonestè operor, possumque advertere carentiam illius iudicii, etiamsi non habeam reflexum iudicium certum de inhonestate operationis: Ratio à priori est, quia bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu, ita *Suar. Ovièd. n. 16. Bardi discept. 1. c. 9. n. 12.* aliique. Posset etiam permitti seq., nam videtur semper adesse iudicium certum obligationis aliter operandi vel abstinendi: *si dicas*, Sic semper adfore plenam advertentiam malitiæ, adeoque nunquam peccabitur ex semiplena advertentia, *R.* erit plena advertentia malitiæ alicujus, sive malitiæ in genere, non tamen semper gravis, ideòque poterit peccari venialiter ex semiplena advertentia malitiæ gravis; uti rectè *III. c. 1. d. 1. n. 4. Ex dictis.*

65

Sequitur contra Auctores n. 47. citatos, quamvis iudicium reflexum conscientiæ debeat esse certum, non tamen requiri ut directum sit certum, alioquin non erit licitum operari ex opinione probabilissima, quod damnat *Alex. VIII.* nam opinio probabilissima non excedit fines probabilitatis. II. Si iudicium directum debeat esse certum, cessat quæstio, an liceat sequi opinionem minus probabilem, nam si pro una parte sit moralis saltem certitudo, oppositum non erit strictè probabile, contrarietatis autem est de conflictu opinionis directè tantum.

66

tantum probabilioris, cum minus probabili. III. Rarissime licitum erit operari secundum alterutram opinionem probabilem, sed erit obligatio sequendi tutiora, uti ostendetur n. 293. IV. Quamvis adversarii dicant se operari ex iudicio suo directo tanquam dictamine ultimo, tamen re ipsa nituntur alia certiore ratione reflexa, uti fatetur *Erenbr.* a 15. & innunt *Gonz.* d. 10. a n. 27. ac *Camargo* p. 1. l. 2. contr. 4. a n. 608. & 616. qui ex hoc probat sufficere iudicium directum simpliciter prudens & probabile, quia raro fallit, quia Deus ab homine non requirit nisi humanum agendi modum, nec prudentia requirit majorem certitudinem in negotiis gravissimis, & denique quia periculum peccandi, quod remanet, est leve ac remotum, quæ rationes sunt reflexæ & faciunt dictamen ultimum re ipsa certum hoc vel simili modo, ille certo prudenter agit, qui sequitur iudicium, quod raro fallit, quo nec Deus ab homine nec prudentia a quoquam requirit certius, & cum quo non est conjunctum periculum peccandi nisi leve & remotum, sed qui sequitur iudicium directum simpliciter prudens & probabile, ille sequitur iudicium, quod raro fallit, quo nec Deus ab homine nec prudentia a quoquam requirit certius, & cum quo non est conjunctum periculum peccandi nisi leve & remotum, ergo ille certo prudenter agit: vel si vis brevius, certo prudenter agimus sequendo iudicium directum simpliciter prudens & probabile, quia Deus & prudentia non obligant nos ad iudicium certius: hæc iudicia reflexa, sunt utique prudentia & certiora quam præcisè directum, ergo dicendum est in illis consistere ultimum dictamen practicum.

87

Q. 11. Quid addi possit ad clarius explicandam, partim naturam & species dubii, partim conscientiam dubiam. R. seq. §. I.

§. I. Dubium aliud dicitur *objectivum*, aliud formale, *objectivum* est res, circa quam versatur intellectus dubitans; formale est actus, quo intellectus dubitans circa rem versatur, & de hoc solo hic est sermo.

§. II. Dubium est motus mentis suspensæ, five est suspensio intellectus quasi in æquilibrio hærentis inter duo contraria ipsi proposita, quorum neutri assentitur, neutri dissentit, uti rectè explicant *Carden.* in 1. *Cris.* d. 6. c. 1. & *Teril.* in Reg. q. 50. Hinc conscientia dubia propriè non est conscientia, sed potius privatio conscientix, cum sit suspensio omnis iudicii.

§. III. Dubium non est mera apprehensio utriusque partis oppositæ, alioquin quisquis tentaretur in fide, hoc ipso dubitaret: neque etiam est mera inquisitio veritatis in hac vel illa parte, nam etiam hæc fieri potest in materia fidei absque peccato: itaque superaddit aliquam dispositionem animi, quâ ita ferimur in rem propositam, ut saltem virtualiter reputemus esse incertam: quamvis autem *Suar.* & alii putent requiri iudicium absolutum de insufficientia mediæ ad iudicandum, tamen putat *Teril.* n. 6. cum iudicium illud sit sæpe inevidens & falsum, posse per voluntatem aut aliunde impediri, & nihilominus haberi dubium per suspensionem omnis iudicii, cum dispositione animi de se causativa talis iudicii de insufficientia vel incertitudine motivi: quod si intellectus aliquo modo determinetur ad unam partem, erit opinio vel suspicio; & de opinione dicitur à n. 95. de suspicione autem l. 3. p. 2. à n. 1176.

§. IV. Dubium quandoque contingit ex defectu motivi sufficientis ad iudicandum, & tum dicitur *dubium negativum*, per quod intellectus est negativè

dubius,

68

69

70

71

dubius, quia non habet rationem sufficientem pro hac vel illa parte: aliquando etiam contingit ex eo, quod intellectus habens motivum de se sufficiens ad assensum vel dissensum, tamen vel ratione voluntatis nolentis applicare intellectum, vel aliunde fit, ut nullum iudicium ponatur, & tum dicitur dubium positivum, per quod intellectus manet in æquilibrio ad utramque partem, uti libra, quando paria utrimque pondera habet, ad neutram se partem inclinat, sed manet in medio, quamvis utrimque pondus habeat sufficiens ad eam inclinandam, si pondus oppositum abesset, vel ipsa aliunde ex una parte magis impelleretur. Porro ubi dubium utrimque positivum adest, reflexè judicari potest, quod circa utramque partem sint motiva de se sufficientia pro opinione probabili formanda de singulis, uti pluribus dicitur à n. 237. hic tamen actus reflexus non est dubium, sed potest esse certus ac evidens, versaturque circa dubium tanquam objectum suum.

73

§. V. Si dubium negativum fundetur in sola possibilitate, uti si dubitem, an occiderim aliquem, quia potui occidisse, hoc dubium est Metaphysicum & imprudens: è contrà si fundetur in aliqua ratione sed de se non sufficiente ad assensum vel dissensum, tum propriè dicitur dubium morale: putant quidem *Carden.* n. 115. & *Teril.* n. 7. omne dubium negativum per hoc distingui à positivo, quod in negativo nulla occurrant motiva pro alterutra parte, in positivo autem occurrant saltem pro alterutra, sed est quæstio de nomine, si enim nulla prorsus ratio occurrat, est potius mera nescientia, uti docent *Eliz.* l. 4. q. 3. §. 6. & *Gonz.* d. 7. n. 97. quorum ratio hæc est, quia ad dubium morale requiritur, ut intellectus vacillet, in hanc partem trahatur & retrahatur in aliam, ut interrogatus, cur dubitet, aliquam

quam saltem causam dare possit, denique ut dubitando veritatem desideret, hæc autem non videntur salvari, si nullum planè motivum occurrat: qui tamen aliter loqui volet, & ad omne dubium negativum requirere carentiam omnis motivi, legat *Teril.* qui id bene defendit.

§. VI. Dubium aliud est juris, aliud facti, juris est, quando dubitatur de lege aliqua vel de obligatione legis aut consuetudinis, vel de valore actus, inquit *Stoz* l. 1. p. 5. n. 122. Facti est, si dubitetur de alio quàm de istis, v. g. an homicidium sit factum, an operando intentionem rectam habuerim &c. Utrumque hoc dubium aliud est speculativum, quod versatur circa rem secundum se spectatam, præscindendo à circumstantiis & ab operatione exercenda, uti si dubites, sitne hodie dies festus: aliud practicum, quod versatur circa rem affectam omnibus circumstantiis & in praxi exercendam, sive quod versatur circa rem, prout me hîc & nunc agentem respicit: quod iterum duplex est, unum generale & abstractum, quando generatim dubitatur, v. g. an liceat die festo talem laborem exercere, & hoc aliqui confundunt cum speculativo, cum quibus etiam postea loquemur; alterum est propriè practicum, quando in particulari dubitatur, v. g. an hîc & nunc die festo possim talem laborem exercere.

§. VII. Ut quis dicatur agere cum dubio practico, sive cum conscientia dubia, *Salas* apud *Bardi* disc. 5. c. 1. n. 2. requirit iudicium aliquod reflexum, quo cognoscat se habere illam ipsam suspensionem intellectus, è contrà *Vasq. Carden.* in 1. Crisid. 78. c. 3. & *Schild.* tr. 3. n. 1. negant hoc requiri, quamvis enim absit, adhuc operatur contra conscientiam, hoc ipso, quòd operetur non habens dicta-

men practicum de honestate operationis : utraque sententia fortè conciliabitur, dicendo , quamvis determinatè non requiratur iudicium, tamen ut peccetur operando cum conscientia dubia, requiri saltem exercitam cognitionem malitiæ operationis cum tali dubio factæ, (uti colligetur ex dicendis l. 5. à n. 16.) quam *Carden.* n. 17. dicit certò haberi, hoc ipso quòd operetur cum dubitatione de malitia operationis, quia ad dubitationem illam subsequitur timor & fuga mali , ergo sufficienter agnoscit malum. *Nec obstat*, quòd ad mortale requiratur advertentia plena malitiæ, uti dicitur l. 5. n. 16., *nam* hæc adesse potest ex vi dubii practici, sicuti sufficientem advertentiam ad nocumentum v. nemi habet ille, qui practicè dubitat, an hoc, quod videt, sit serpens an piscis. Addit n. 22. probabile esse, quòd semper resultet aliquod iudicium directum vel reflexum, cùm enim advertat malitiam, lumen naturale statim dicitur malum esse eam non timere & non fugere, & sic defendi potest *Salas*.

78

Q. 12. Quomodo dubitans debeat se practice resolvere, antequam operetur. R.

§. I. Ad hoc, ut se prudenter resolvat, duo requiruntur, 1. dubium speculativum, quod habet, debet esse invincibile, id est tale, ut adhibitâ debitâ & pro conditione personæ ac circumstantiarum moraliter possibili diligentiam in inquirenda veritate, nihilominus dubium perseveret: 2. Debet adesse causa aliqua rationabilis movens ad eligendam alteram

79

contra dubium speculativum, e. g. speculativè dubitans, an hac die sit indictum jejunium, practicè autem dubitas, an tu hîc & nunc tenearis jejunare; ut prudenter te resolvas formesque dictamen practicum, quòd jejunare non tenearis, debes ante omnia adhibere

adhibere moralem diligentiam ad vincendum illud dubium, & ad cognoscendam veritatem, sitne hodie indictum jejunium necne, v. g. inspiciendo Calendarium, interrogando alios: si non possis deprehendere veritatem, tutius quidem erit, si jejunes, at tamen poteris te practicè resolvere in alteram partem contra jejunium, judicando te non obligari, pro quo judicio habes rationabile motivum, quia nempe possessio est pro tua libertate, neque illa lex jejunii tibi sufficienter est applicata, quia alii viri prudentes de hoc jejunio nihil sciunt vel non jejunant &c. tumque non peccabis omittendo jejunium: è contrà si te resolveres ad non jejunandum ante adhibitam moralem diligentiam in rescienda veritate, aut sine motivo, quia nempe nolles dubitare, peccares, quia prudenter te non resolveres contra dubium speculativum, ita *Sporer* n. 74.

§. II. Ex dictis patet, dictamen practicum formari posse stante dubio speculativo; nam etiam judex ita ferre potest sententiam, ut dubium speculativum non deponat, si enim ipsi non constet, pro qua parte sit jus, potest speculativè dubitare, & nihilominus carere dubio practico, sed sententiam ferre pro una parte, pro quo regulam habet, nempe *quando de jure non constat, pro illo stare debeo, pro quo est possessio vel major probabilitas.*

Q. 13. *Quid circa conscientiam perplexam sit addendum R. seq.*

§. I. Ille dicitur habere conscientiam perplexam, qui putat se peccaturum, sive actum ponat sive omitat, sive hoc sive illud eligat, & tamen unum illorum debet eligere: ut autem non peccet ille, qui habet conscientiam perplexam de opere postea faciendo, tenetur adhibere media ad perplexitatem tollendam prius, quàm tempus operis exequendi adveniat, quia

quivis tenetur adhibere medium ad evitandum illud, per quod putat Deum offendi, medium autem hic & nunc est, si tollat illam perplexitatem: quòd si conatus sit, & perplexitatem tollere non potuerit, agens in perplexitate non peccabit, sed dirigetur hoc dictamine reflexo conscientiae, per quod exercitè & re ipsa tolletur perplexitas, & quo sibi dicet, *quidquid hic agam, non pecco, five, perinde est, quid hic agam:* & quamvis fortè hoc dictamen non ita advertat propter scrupulum vel perturbationem, re ipsa tamen habet, uti rectè *Platelius* p. 2. n. 128. *si dicas*, Christus meritoriè operatus est, licèt constitutus in necessitate agendi hoc vel illud bonum, ergo perplexus operatur demeritoriè, licèt necessariò agat hoc vel illud malum: *Contrà* est, Christus retinuit libertatem Phisicam etiam ad minùs perfectum, quòd cognoscebat.

32 §. II. Etiam abstrahendo ab illo dictamine, adhuc tamen perplexus talis non peccat defectu libertatis, quia quamvis actus ille, quem præeligit, sit in se & absolutè liber in ordine ad hoc, ut ponatur vel omittatur, non est tamen liber in ordine ad culpam vitandam, quia quamcumque partem eligat, æqualis culpa necessariò imminet, ut autem actio imputetur ad culpam, debet adesse libertas actionis vel omissionis, per quam operans possit culpam vitare, ita *Dicast.* de juram. d. 2. n. 236. Simili modo docet *Oviedo* de merito contròv. 2. pu. 4. quòd ad meritum non sufficiat libertas inter actus omnino æquales cum necessitate ad hunc vel illum, quia si quis ita necessitetur, non poterit ei imputari ad laudem, nec consequenter ad meritum, quod hunc præ illo ponat, cum major non sit bonitas in uno, quàm altero.

34 §. III. Si perplexo videatur una pars magis, altera

altera minùs mala, eligens eam, quæ videtur magis mala, peccat secundùm quantitatem excessus apprehensi, ad hunc enim est liber, hinc si mortale, quod apprehendit esse gravius, apprehenderetur habere supra alteram partem excessum venialem malitiæ, eligens hoc gravius peccaret tantùm venialiter, quia ad gravitatem malitiæ non est liber, sed tantùm ad excessum, qui venialis est, ita *Schild. tr. 1. n. 30. Discast & alii.*

§. IV. Si id, quod videtur esse minùs malum, fit intrinsecè malum, alterum autem non, v. g. si quis putet se debere vel venialiter mentiri vel mortaliter peccare omittendo Missam, *Schild. n. 29.* adhuc tenet debere eligere, quod videtur minus, quia omittendo Missam contraheret malitiam, quæ secundùm opinionem ejus mortalis esset: oppositum tenent *Gran. & Dian. p. 4. tr. 3. R. 70.*, quia malitia contra jus naturæ meritò formidabilior est, cum sit indispensabilis: quidquid sit de his sententiis, quivis prudens in tali casu deberet se resolvere, judicando præceptum positivum non obligare, quando sine læsione præcepti naturalis observari non potest.

§. V. Si perplexus sciat unam partem esse peccatum, & dubitet an altera sit peccatum, si utrumque sit æquale, tenetur eligere illud, de quo dubitat, quia qui eligit peccatum tantùm dubium, magis recedit à malitia, quàm qui eligit certum: si tamen ex altera parte dubitaret de graviore peccato, v. g. qui sciret mentiri esse veniale, & dubitaret, an hic & nunc eleemosynam negare indigenti esset mortale, & tamen deberet alterutrum eligere, *Schild. n. 31.* dicit aliquando fieri posse, ut debeat eligere peccatum certum, quod est minus, & abstinere à dubio, quod est majus, ideoque hanc dat regulam, nempe

quod amplecti debeat eam partem, in qua spectato excessu malitiæ ex una parte, & excessu certitudinis ex altera, apparet malitia minus esse imputabilis.

87 §. VI. Si perplexus nequeat discernere vel non audeat judicare; quid sit tutius vel melius, & tamen necesse sit hoc aut illud fieri, eligat & faciat, quod voluerit, necullo modo peccabit, defectu libertatis moralis, ita *Tamb.* in decal. l. 1. c. 3. §. 6. n. 4.

88 Q. 14. Quomodo explicetur illa regula juris, in dubio non præsumitur factum sed probari debet, L. in bello. §. facta, ff. de captivis postliminio reversis.

R. sic explicari, 1. Quando dubitatur de principali facto, v. g. an ego percusserim aliquem, hoc factum præsumi non debet, sed qui affirmat, debet positivè probare. 2. Quando dubitatur de homicidio tanquam actu principali facto, Jus, cap. significasti, &

89 cap. ad audientiam, 2. de homicidio, statuit, ut in ordine ad incurrendam irregularitatem præsumatur factum, è contrà in ordine ad alios effectus non præsumitur factum, sed manet regula generalis, quod

90 delicta non præsumantur 3. Si actus principalis sit certus, & dubitetur de aliquo tantùm accessorio, si hoc accessorium de jure faciendum erat, aut si ordinariè ita fieri solet, aut si ita factum esse est favorabile facienti, præsumitur illud accessorium factum, v. g. si quis scit se confessum peccatum, & postea dubitet, an feridò doluerit, præsumat se doluisse feridò, quia actus principalis, qui hic est confessio, est certus, & tantùm dubitatur de accessorio, quod adesse debebat, & ordinariè præmitti solet, sicque præsumi, quòd adfuerit, est favorabile confitendi.

91 4. Quando constat de actu externo rite peracto, v. g. de confessione, testamento, contractu, in dubio præsumuntur actus interni requisiti & sufficientes adfuisse,

fuisse, nisi accedat alia præsumptio in oppositum, ita
Spoer n. 73. *Stoz*. l. 1 p. 5. n. 30. Universaliter autem
 definitur præsumptio ab *Eliz*. l. 7. q. 16. §. 1. probabilis
 conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non
 adducto pro veritate habetur : vide dicenda l. 4.
 à n. 1434.

DUBIUM II.

92

*Quid agendum cum Conscientia speculative
 dubia.*

94: ad 268

Sunt quædam in Theologia opiniones dubiæ, & in
 in utramque partem probabiles, quæ reddunt
 hominem speculative dubium. Quæritur ergo hinc,
 an & quomodo ex talibus possit formari Consci-
 entia practice certa.

Respondeo. Absque peccato licet sequi opinio-
 nem probabilem, etiam alienam, & minùs tutam,
 (hoc est, quæ minùs remota videatur ab omni spe-
 cie peccati, quàm altera) relicta probabiliore & tu-
 tiore propria, seclusa tamen omni injuriâ, & peri-
 culo proximi; & dummodo opinio, quæ eligitur,
 adhuc sit probabilis. Est communis Doctorum,
 quos citat & sequitur *Laym.* & *Bonac. t. 2. d. 2. q. 4 p.*
 9. Ratio est, tum quia qui sequitur sententiam gravi
 autoritate, vel non levis momenti ratione
 nixam (hæc enim dicitur probabilis:) non agit
 temerè, sed prudenter, sequendo nimirum viro-
 rum prudentum, & artis peritorum consilium: tum
 quia esset onus intolerabile, multisque scrupu-
 lis expositum, in omni re examinare, quid sit pro-
 babilius & tutius.

Dixi in responsione, *etiam alienam*: quia pa-
 rum refert, quòd opposita sententia ipsi operanti
 videatur probabilior speculative: speculativum enim

268 per
12: § pponit
12 ræs.

269

289

293.

375.

enim illud iudicium, eo ipso quod fortè incertum
 & falsum fit, non debet esse regula operationis,
 cùm operans aliam regulam, eamque certam ha-
 beat, quam sequatur, scilicet hanc, quod in dubiis
 quisque operari possit secundùm sententiam, quam
 viri docti ut probabilem & in praxi tutam, defen-
 dunt. Neque tunc agit contra propriam conscien-
 tiam, aut exponit se periculo peccandi formaliter.
*Atque hinc colligitur resolutio sequentium ca-
 suum.*

303

443

I. Confessarius, aut alius vir doctus, potest con-
 sultenti respondere secundùm probabilem aliorum
 sententiam, si fortè ei hæc sit favorabilior, præter-
 missâ etiam propriâ probabiliore, & tutiore, Ita
Sanch. Bon. Ratio patet, quia ipse Confessarius po-
 test eam prudenter agendo sequi: Etsi ad incon-
 stantiæ notam fugiendam, expediat respondere
 semper secundùm eadem principia, ut monet
Sanch. l. c. c. 19 Bec. n. 16.

II. Potest etiam vir talis consultus significare
 consultenti, opinionem à quibusdam doctis tan-
 quam probabilem defendi, quam proinde ipsi se-
 qui liceat, quamvis ipse consultus eandem specula-
 tivè falsam esse iudicet, & proinde in praxi ipse se-
 qui non audeat. Ratio est, quia alter habet jus
 sequendi sententiam probabilem, & hoc jus suum
 illi indicare non prohibeor. *Laym. l. 1. t. 1. c. 5. n. 9.*
Bonac. p. 9. n. 8.

376

III. Pœnitentem, qui secundùm probabilem
 opinionem operari vult, potest, imò, secundùm
 communem sententiam, debet Confessarius, &
 quidem si proprius sit sive Parochus, sub mortali,
 absolvere, licet ipse iudicet doctrinam illam esse
 falsam: ideòque frustra remittet ad alium Confes-
 sarium, qui sit ejusdem sententiæ. Ratio est, quia
 rectè

rectè disposito non debet negari absolutio, *Azor.* ⁶⁶
Vasq. Sanch. Lay. n. 10. Additque Dia. p. 2. t. 13. R. ⁶⁶
 11. ex *Sanch. & Sancio*, peccare mortaliter, si no-⁶⁶
 lit absolvere, quando de mortali confessio fit; ta-⁶⁶
 metfi non sit proprius ejus Confessarius. ⁶⁶

IV. Non sunt damnandi, qui adeunt varios Do-⁶⁶ 301
 ctiores, donec unum reperiant faventem sibi: dum-⁶⁶
 modo is prudens, ac pius, & non singularis habea-⁶⁶
 tur. Ratio est, quia intendunt sequi opinionem ⁶⁶
 probabilem. Ita *Sanch. l. 1. c. 9 n. 24. Bonac. & alii* ⁶⁶
 contra *Navarrum*. ⁶⁶

V. Superiori præcipienti secundùm opinionem ⁶⁶ 432
 probabilem, subditus tenetur obedire, etiam contra ⁶⁶
 propriam probabiliorem ac tutiorem; v. g. si pau-⁶⁶
 lulum ægrotus probabilius & tutius putes te tene-⁶⁶
 ri ad jejunium, comedere tamen debes, sequendo ⁶⁶
 Superioris sententiam minùs tutam & probabi-⁶⁶
 lem. Ratio, quia in dubio præsumitur pro Supe-⁶⁶
 riore. *Lay. n. 11. & 12.* ⁶⁶

VI. Potest Advocatus suscipere patrocinium ⁶⁶ 293
 causæ probabilis, etiam judicet contrariam probabi-⁶⁶
 liorem, *Lay. Bon. n. 16.* Ratio, quia utraque pars ⁶⁶
 habet jus proferendi suas causas in judicio, vide in-⁶⁶
 frà *l. 4. c. 3. dub. 3 Resp. 1.* ⁶⁶

Dixi 2. In responsione, *seclusa injuria*, quia si ⁶⁶ 457
 periculum sit, ne proximo fiat damnum aut inju-⁶⁶
 ria, locum habet axioma: *In dubio tutior via* ⁶⁶
eligenda est. Unde resolvuntur hi Casus: ⁶⁶

I. In administratione Sacramentorum non ⁶⁶
 semper licet sequi sententias speculativè probabi-⁶⁶
 les, maximè circa valorem Sacramenti: sed quo-⁶⁶
 ad ea, quæ à Ministro præstanda sunt, utendum est ⁶⁶
 sententiâ securiore, & materiâ ac formâ certâ, v. g. ⁶⁶
 in Baptismo. Ratio est, quia licet præcisè operâ-⁶⁶
 tionem spectando, Minister non peccaret sequendo ⁶⁶
 opinio-

" opinionem probabilem, nec Sacramento irroga-
 " ret irreverentiam, quia tamen effectus Sacramen-
 " ti, ut remissio peccatorum, & infusio gratiæ de-
 " pender à vera materia & forma, graviter proximo
 " noceret: ideòque peccaret, qui pro materia certa
 " adhiberet dubiam. Excipitur tamen casus necessi-
 " tatis, in quo Sacramentum cum dubio valoris,
 " potest præberi sub conditione, v. g. Baptismus mo-
 " riture in aqua rosaceæ mixta, si naturalis desit:
 " quia tum proximus juvari debet, ut potest: & ex
 " duobus malis minus eligendum. Vid. *Laym. hic*, &
 " *Suar. t. 4. d. 26. f. 6. Bec. c. 4 q. 9.*

" II. Medicus & Chirurgus sequi debent tutio-
 " ra & probabiliora, nec uti possunt v. g. explorandi
 " gratiâ, medicamento probabili multòque minùs
 " dubio, si certum habeant, *Sanch. Bonac. l. c. Bald.*
 " *de consc. dubi. vide infr. lib. 4. c. 3. dub. 9.*

" Dixi; *si adhuc sit probabilis*: quia si probabi-
 " litatem amiserit, ob aliquod decretum in contra-
 " rium, vel gravem censuram, vel rationem gra-
 " vem de novo inventam, quæ difficulter refutanda
 " videatur, non habet locum responsio. *Vnde resol-
 " vitur hic Casus.*

" Non licet nunc absolvere pœnitentem absen-
 " tem, etsi plures Doctores ante hac id senserint,
 " horum enim sententia nunc est abolita, & proba-
 " bilitatem, si quam habuit, amisit, præcipuè ac-
 " cedente decreto Clem. VII. *Bonac. l. c. n. 17.* &
 " *alii communiter.*

A D D E N D A.

93 **E**sparsa in Appendice ad quæst. de usu licito opi-
 nionis probabilis a. 240. verissimè dicit, contro-
 versiam illam, liceátne sequi sententiam probabi-
 lem

lem & minus tutam relictâ probabiliore & tutiore, esse difficillimam & abstrusissimam inter omnes quaestiones de moribus, seu speculativas seu practicas, nam supponit cognitionem speculativam materialium circa mores, & est universalissima regula circa omnes conclusiones practicas: similiter *Carden.* in 1. Cris. d. 56. n. 119. ait, materia de probabilitate res est obscura & valde Metaphysica, quæ multas subit reflexiones mentis: est præterea controversia illa celeberrima hoc tempore & summi momenti, ideoq; diligenter tractanda in utramque partem, cogarque præter morem & propositum esse longior, ad quod etiam permovet me comminatio *Eliz.* putantis neminem posse esse in conscientia tutum, qui rationes à se per magnum tomum in folio allatas non expendisset, ideoque perlegi, ejusque postea adversarium *Teril.*, item *Carden. Moyam, Gonz.* ejus *Synopsis*, *Ebrent.* *Camargo*, aliosque plures, & nullum argumentum utriusque partis dissimulabo, ut expensis omnibus ferre possimus judicium de quaestione illa gravissima.

In hoc autem Dubio tantum agam de comparatione opinionis probabilis cum probabiliore, in sequente dicetur de comparatione probabilis & minus tutæ cum tutiore, ita enim etiam tractat *Busenbaum.*

Q. 15. Quanam propositiones circa materiam probabilitatis sint damnata. R. Inter damnatas ab Alex. VII. hæc est 27. si liber sit alicujus junioris & 153 moderni, debet opinio censei probabilis, dum non constet rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem. Inter damnatas ab Inn. XI. hæc est 1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum
gravis

gravis damni incurrendi : hinc sententiã probabiliter tantum usendum non est, in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis. 2. Probabiliter existimo Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. 3. Generatim, dum probabilitate sive intrinsecã sive extrinsecã quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Inter damnatas ab Alex. VIII. hæc est 3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Quis sensus sit harum propositionum & damnationis earundem, dicetur per decursum.

95 Q. 16. Quid & quotuplex sit opinio. R. §. 1. Opinio in genere, prout complectitur etiam fidem humanam, secundum S. Bern. de confid. l. 5. c. 2., est quasi pro vero habere, quod falsum esse nescias & c. 3. ait, est assensus verisimilis, id est, iudicium incertum nitens motivo fallibili, vel infallibili quidem, attamen non cognito ut tali, sed cognito tantum modo fallibili: S. Tb. I. p. q. 79. a. 9. ad 4. & 2. 2. q. 1. a. 4. dicit esse actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius: circa quem actum ejusque formidinem videri possunt multa acutè disputata apud Eliz. in app. q. 6. & 7, item apud Teril. in Reg. q. 34. ubi in multis arguit Elizaldum: sufficit hic scire, quod formido illa non semper sit actualis sed quandoque tantum radicalis: si autè sit actualis, vel est actus reflexus, quo cognoscimus nos per actum nostrum exponi periculo errandi, vel est ipsummet iudicium ex suo modo tendendi propter motivum fallibile non adhærens firmè objecto, sicuti è contrà firmitas scientiæ est ipse actus scientificus ex suo modo tendendi propter motivum infallibile firmiter adhærens objecto: illud autem motivum dicitur fallibile, quod
per

per se cum objecto asserto connectitur, absolute tamen separari potest; quod si separari non possit, erit infallibile.

§. II. Opinio alia est probabilis, alia improbabilis; alia speculativa, alia practica, de quibus in qq. seq. 96

Q. 17. An aliqua opinio possit esse actus prudens. 97

R. Affirmative, nempe illa, quæ probabilis est, sive, quæ nititur motivo gravi: è contra opiniones improbabiles sunt imprudentes. Non omnem opinionem esse imprudentem, insinuat ab *Apost.* ad Rom. 14. v. 5. *Vnusquisque in suo sensu abundet,* hoc enim non fit, nisi opinando: Similiter *S. Petrus Act.* 2. Usus est argumento tantum probabilis, dicens Apostolos non esse ebrios, eò quod esset prius hora diei tertia: Docet idem expressè *S. Th.* 1. 2. q. 57. a. 4. ad 2. dicens prudentiam esse etiam in parte opinativa animæ. Denique actus tantum probabiles sæpissime in practicis & speculativis habuerunt ac in suis libris consignarunt *SS. PP.* omnes, *S. Th.* 98 aliique, uti patet legenti. Ratio autem positiva responsionis est, 1. Quia aliquod iudicium distinctum à fide divina est imperabile à prudentia, sed hoc non est iudicium scientificum, hoc enim non indiget imperio, cum ad illud necessitetur intellectus, ergo est iudicium probabile seu opinativum, ergo opinio potest imperari à prudentia, & consequenter potest esse actus prudens. 2. Prudentia dicitur filio, ut honoret hunc hominem, de quo dubitare non audeat, quin sit suus pater, quamvis fortè reipsa non sit: item dicitur iudici, ut iudicet hunc hominem esse nocentem, quia quamvis fortè sit innocens, tamen per tres testes, qui deposuerunt de visu, probatus est nocens &c. ergo. 3. Nemo dicet, quod iudicium nitens motivo gravi & plerumque vero sit imprudens,

dens, licet fit tantum opinativum. Videri potest *Ter-
ril.* in Reg. q. 41., ubi rem hanc demonstrat contra
Sinnichium & Eliz.

99 *Obji. 1. S. Aug.* in Ench. c. 27. ait, *anima ra-
tionalis, quantum potest, devitat errorem*, sed qui
opinatur, non devitat errorem, quantum potest,
posset enim suspendere iudicium, ergo qui opinatur,
non agit secundum animam rationalem, ergo nec
prudenter: hinc idem *S. Doctor* l. de util. cred. c. 11.
ait, *tria sunt veluti finitima sibi in animis homi-
num, distinctione dignissima, intelligere, credere,
opinari, quæ si per seipsa considerentur, primum sine
vitio est, secundum aliquando in vitio, tertium
nunquam sine vitio*: Similiter *S. Tb.* de veritate q.
18. a. 6., *quandocumque intellectus movetur ab ali-
quo fallibili signo, est aliqua inordinatio in ipso, sive
perfectè sive imperfectè moveatur*: Consonat *S. Bern.*
de confid. l. 5. c. 3. *Opinio, quæ habet assertionem, te-
meraria est. R. S. Aug.* in primo loco vult ani-
mam rationalem devitare errorem quantum potest,
si certò haberi possit veritas, ubi autem certò haberi
non potest, melius est ei opinari ex gravi motivo, li-
cèt per accidens quandoque erret, quàm suspendere
omne iudicium, uti n. 705. dicitur: in altero, per
tò *opinari*, intelligit, putare se scire esse certum,
quod tamen est incertum, uti ex contextu aliisque
locis *S. Aug.* ostendunt *Conz* diss. 1. n. 2. & *Esp.* in
App. a. 21. speciatim de util. credendi c. 11. ubi dicit,
unum genus hominum esse *opinativum*, id est, *eo-
rum*, inquit, *qui se scire arbitrantur, quod nesciunt*:
& in eodem sensu dici solet, quòd sapiens non opine-
tur. *S. Tb.* dicit opinionem esse inordinationem,
quia est imperfectio & in pœnam peccati, hinc pu-
tat nos in statu innocentie non fuisse opinaturos.
S. Bern. loquitur de opinione, quæ est sine rationa-
bili

bili fundamento, uti ex contextu ostendit *Carden.*
 in 1. Cris. d. 56. à n. 202. *Instat Camargo* p. 111.
 cont. 8. à n. 15. Nullus errans est sapiens, ergo nullus
 error potest esse prudens. *R.* n. ant, nam si nullus
 errans est sapiens, ergo vel *S. Hier.* vel *S. Aug.* ;
 Item, vel *S. Tb.* vel *S. Bonav.* non fuit sapiens, quia
 hi vel illi errarunt, uti constabit ex dicendis n. 719.
 & 722. Item *S. Aug.* non fuit sapiens ante vel post
 libros *Retractationū*, quia opposita docuit; Item, vel
 schola Thomistarum vel schola Scotistarum non est
 sapiens, quia alterutra errat in sententiis oppositis,
 etiam circa moralia. Imò *Camargo* ipse per decur-
 sum sæpe vocat defensores Probabilissimi viros sa-
 pientissimos, & tamen sapissime dicit illos in eo er-
 rare. Itaque cum errore invincibili stat prudentia,
 & consequenter sapientia, de qua hic debet esse ser-
 mo. Vide dicenda n. 709.

Obj. 2. Actus prudentiæ est actus virtutis intel- 100
 lectualis, quæ semper dicit verum, sed iudicium
 probabile non semper est verum, ergo non est actus
 virtutis prudentiæ. *R.* Actus prudentiæ elicitus &
 immediatus, est actus virtutis, quæ semper dicit ve-
 rum, c. actus imperatus à prudentia, qui dicitur
 actus mediatus prudentiæ, n. maj., iudicium au-
 tem probabile tantum imperatur à prudentia actua-
 li, & mediatè tantum pendet ab habitu prudentiæ:
 sic, prudentia actualis imperat Judici, ut innocen-
 tem iudicet nocentem, si probatus sit nocens; item,
 ut unumquemque iudicet probum, si non sit pro-
 batus improbus &c. hæc iudicia, quibus hic homo
 iudicatur nocens vel probus, imperantur à pruden-
 tia, sed immediatè eliciuntur ab habitu opinionis,
 possuntque esse falsa, & tamen sunt prudentissima: è
 contra hi actus *judicandum est secundum allegata &*
probata, habendus est innocens, qui non est probatus
 D *nocens,*

nocens, sunt actus immediati prudentiæ, qui ab habitu prudentiæ eliciuntur, suntque semper veri.

101 *Inst. I.* Omnis actus prudentiæ etiam imperatus magis se habet ad verum quàm ad falsum, prudentia enim ab *Arist.* 6. Eth. c. 5. definitur habitus cum vera ratione activus, & ideo consultationes sunt prudentes, quia in veritatem inquirunt, sed opinio habet se æqualiter ad verum & falsum, ergo opinio non est actus prudentiæ nequidè imperatus. *R.* Omnis actus prudentiæ etiam imperatus magis se habet ad verum in se, quàm ad falsum in se, n. magis se habet ad verum saltem apparens, quàm ad falsum, c, & similiter dist. min. n. conseq. nam omnis opinio est assensus, quem quis putat verum & non falsum, quia impossibile est assentiri, nisi moveat veritas saltem apparens & apprehensa, ergo omnis opinio est ad solum verum, uti optimè *Teril.* q. 24. à n. 12. & iterum q. 36., licèt enim propositiones sint contradictoriæ, & una certò sit falsa, tamen motivum affirmationis est apparentia veri & non falsi, ipsaque affirmatio est assensus ad verum apparens & non ad falsum; similiter motivum negationis est apparentia veri in opposito, & ipsa negatio est recessus à falso & accessus ad solum verum oppositum, ergo omnis probabilitas habet se magis ad verum quàm ad falsum: vide dicenda n. 357. & 358.

102 *Inst. II.* Opus externum imperatum ab arte non est artificiosum, si in illo materialiter, quamvis invincibiliter, erretur, ergo similiter de opere interno à prudentia imperato, ita *Elix. R.* n. conseq. disparitatem dat *S. Tb.* 1. 2 q. 57. a. 5. ad 1. *bonum artis consideratur, non in ipso artifice sed magis in ipso artificiato, cum ars sit ratio recta factibilium, factio enim in exteriorem materiam transiens non est perfectio facientis sed facti,* consequenter cum mea existimatio, licèt invincibiliter erronea, non immutet

mutet objectum in se, etiam non potest facere, ut objectum ex errore factum sit artificiatum: è contrà prudentiæ bonum attenditur in ipso agente, cuius perfectio est ipsum agere, est enim prudentia reclaratio agibilium, ergo si prudentia imperet actum, qui invincibiliter putatur verus, licet erreretur materialiter, habetur finis prudentiæ, qui est, ex parte subjecti rectè agere; & constant hæc etiam ex dictis à n. 14, ubi ostendimus actum bonum posse dirigi per ignorantiam vel errorem invincibilem: n. autem 706. etiam probabitur, quòd actus probabilis falsus sit perfectio intellectûs. Vide etiam dicta n. 99. in fine.

Q. 18. Quid sit opinio probabilis. R. Varii variè 103
definiunt, uti videri potest apud *Moyam* de op.
prob. q. 1.

§. I. Certum est per probabile hîc non debere intelligi omne illud, quod habet qualemcumque speciem veritatis, secundùm illud *Ciceronis*, *nihil est tam improbabile, quod dicendo non fiat probabile*, nam hoc probabile idem significat, quod in specie seu eminentiè verum, licet agnoscat esse falsum; per probabile autem nostrum intelligitur aliquid, quod ab intellectu est approbabile tanquam verum: è contrà admitti debet, quòd falsum possit esse probabile, uti à n. 237. dicitur, hinc ex *Arist.* est commune adagium, multa falsa esse probabiliora veris.

§. II. *Et* dicit probabile esse, quod plerumque 104
contingit, ad quod putat sufficere, quòd pluries cum vero quàm cum falso connectatur, alioquin, inquit l. 8. q. 8. §. 1. si ex centenis sexaginta sint suspendendi, quadraginta liberandi, probabile esset Petrum ex illis centenis unum, esse liberandum. *Constrà* est, nam ad probabile non requiri, ut plerumque contingat, patebit ex n. 105., & ideo *Teril.* in Reg. q.

37. admittit posse esse probabile aut saltem probabili proximum, quod iste Petrus fit liberandus: quando autem *Arist* innuit probabile esse, quod sit ut plurimum, sensus est, si aliquid plerumque contingat, inde haberi prudens motivum ad probabiliter judicandum, quod etiam jam contigerit, secundum illud, *ex communiter contingentibus est prudens præsumptio*. Videri potest *Esp* in app. à n. 89.

105 §. III. Idem *Eliz*. l. 2. q. 16. tria requirit ad opinionem probabilem, nempe ut objectum sit contingens; ut ferè semper contingat; ut medium, quo probatur, sit universalius objecto probato: hanc doctrinam bene rejicit *Teril*. suprà, nam dicuntur multa probabiliter circa Deum, qui est objectum necessarium, & multa certò circa creaturas, quæ sunt objectum contingens; deinde utraque pars contradictionis sæpe est probabilis, uti à n. 237. dicitur, & tamen utraque non ferè semper contingit; similiter probabile est prædestinationem ad gloriam fieri ante prævisa merita, & tamen vel nunquam vel semper ita contingit: denique si dicam, *omnes matres hujus urbis amant filios, sed omnes fœmina hujus urbis sunt matres, ergo: hinc medium, quod est, matres hujus urbis, non est universalius quàm probatum, quod est, omnes fœmina hujus urbis amant filios.*

106 §. IV. *Caram*. dicit opinionem probabilem esse, quæ habet rationes pro & contra se: *Contrà* est, rationes pro una parte, possunt eam facere probabilem, etiam si pro altera nullæ occurrant rationes, nam si aliqui mihi dicant Petrum esse domi, id erit mihi probabile, quamvis nemo sit, qui dicat oppositum, neque mihi occurrat ratio negandi.

107 §. V. *Gonet* dicit opinionem probabilem esse assensum, qui nititur motivo fallibili sive incerto: *Contrà* est, ergo omnis hæresis & quivis assensus imprudens erit opinio probabilis.

§. VI.

§. VI. Opinio probabilis est iudicium incertum nitens motivo absolute & respectivè gravi, ita *Lay. Sanchez. Esp. Fabr. Teril. q. 23*, aliisque communissimè, & satis colligitur ex dictis. Dicitur autem 1. *Iudicium incertum*, id est, nec certò verum nec certò falsum. 2. *Nitens motivo*, nam si opinio pro se non habeat ullum motivum, quamvis etiam contra se nullum habeat (utì hæc, *stella sunt pares*) reipsa non erit probabilis, nisi negativè, id est, non probabilis, uti rectè evincit *Teril. q. 28. contra Eliz.* 3. *Motivo gravi*, id est, magni momenti, quod, per se loquendo, aptum sit virum prudentem determinare ad assensum; sive, cui, si quis assentiatur, iudicio prudentium non mereatur reprehensionem. 4. *Absolute*, id est, secundùm se *gravi* & non tantùm ex accidente, v. g. ex vehemente passione, ex pertinacia, ex inordinatione affectûs, ex negligentia inquirendi verum. 5. *Et respectivè gravi*, id est, quamvis attendantur etiam opposita motiva; si enim hæc fuerint certa, motivum his oppositum non erit respectivè grave sed elidetur, utì rectè *Teril. q. 26.*, quando enim hoc motivum est certum, intellectus prudentis hominis non potest impelli vel sollicitari ad oppositum, & ita nulla hæresis est probabilis, quamvis enim pro hac sæpe sint difficillima argumenta, quæ ideo etiam aliquo sensu dici possint gravissima, tamen eliduntur per motivum oppositum fidei, quod est certissimum: Unde ad veram probabilitatem secundùm omnes requiritur, ut neque Sacræ Scripturæ, neque traditioni, neque communi PP. Sententiæ, neque rationi certæ adversetur, imò neque communibus Theologorum placitis, nisi horum auctoritatem refringant novæ & majoris momenti rationes.

§. VII. *Obj.* Motivum opinionis probabilis, 109

D 3

vel

vel debet esse grave respectu omnium intellectuum, vel respectu aliquorum tantum: non respectu omnium, quia quod est grave respectu imperitorum, saepe non est grave respectu peritorum. Nec aliquorum tantum, hi enim deberent esse periti; ergo sensus erit, respectu habentium auctoritatem, adeoque omnis probabilitas erit tantum extrinseca, ita *Eliz.* R. Intelligi respectu peritorum, non quod ad assensum moveat eorum auctoritas, sed quia movet aliquid, aptum movere peritum, id est, hominem aptè dispositum ad materiam illam intelligendam, juxta statum ipsius materiae & conditionem imbecillitatis humanae.

110 *Inst.* I. Saltem in expositione motivi gravis recurritur ad homines prudentes, prudens autem dicitur, qui non movetur levi sed tantum gravi motivo, ergo fit circulus. R. Per prudentes hic intelliguntur periti, sive aptè dispositi ad intelligendum, nec assueti ferre sententiam, nisi omnibus utrimque consideratis, in qua explicatione nullus fit circulus. Videri potest *Teril.* q. 23. & 24.

111 *Inst.* II. Ignotum est nobis, quinam sint periti, ergo semper ignotum erit, quodnam motivum sit grave, & consequenter quanam opinio sit verè probabilis. R. n. antec., alioquin *Tob.* 4. v. 19. frustra diceretur, *Consilium semper à sapiente exquire*; itaque periti judicantur *S. Th.* *Scot.* *S. Bonav.* *S. Anton.* *Caj.* *Nav.* *Suar.* aliique similes; item alii, quos communis persuasio reputat, aut experientia probat peritos in hac vel illa materia, quam profitentur, cuique studuerunt, vel quam bene tractarunt.

112 *Inferes*, probabilitatem sic posse definiri, quod sit fallibilis & magna apparentia veritatis circa aliquod objectum.

113 Q. 19. *Quotuplex sit opinio probabilis.* R. Multiplex, nam §. I.

§. I. Alia est probabilis ab intrinseco, cujus moti-
 vum consistit in ratione gravi, quæ rei ipsi inest,
 sive ex re ipsa petitur: alia ab extrinseco, cujus mo-
 tivum est auctoritas gravis ita sentientium & dicen-
 tium, quæ auctoritas consistit præcipuè in peritia,
 probitate, sapientia & veracitate: hæc tamen auctori-
 tas non movet, nisi in quantum præsumitur cum hac
 esse conjunctam etiam rationem sive probabilita-
 tem intrinsecam, quia nempe præsumimus viros sa-
 pientes non dicere aliquid sine ratione, unde optimè
 dicit *S. Aug. Epist. 19. alios (libros præter scriptu-
 ram) ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinã-
 que polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita
 sentiunt sed quia mihi vel per illos auctores Cano-
 nicos vel probabili ratione, quod à vero non abhor-
 reant, persuadere potuerunt* Probabilia ab ex-
 trinseco definiuntur ab *Arist. in Topic. l. i. c. 1. Quæ
 videntur omnibus vel plerisque vel sapientibus, at-
 que his vel omnibus vel plerisque vel maximè notis,*
 de qua definitione videri potest *Ess. in App. a. 99. &
 seqq & dicitur n. 159* Hic advertenda sunt duo, **II 4**
 in primis ut aliquid sit probabile ex auctoritate, de-
 bere manere incertum, & per assertionem multo-
 rum non fieri certum, uti certum fit Romam dari,
 ideoque non manet nobis tantum probabile: dein-
 de ut sciamus, quis hic censerì debeat sapiens necne,
 attendendam esse famam publicam vel experientiam,
 sic enim uti antè insinuatum est, aliqui omnium con-
 fessione sunt sapientes, uti *S. Aug. S. Th. Scot.;* Alii
 per experientiam, ex modo, quo res tractant, vel de
 eis discurrunt, vel consilia dant pro praxi, uti *Suar.
 Sanch. Lugo &c.* quandonam verò auctores dicantur
 omni exceptione majores, explicabitur à n. 160.
 ubi plura dicentur de auctoritate extrinseca, & etiam
 exponetur, quinam dicendi sint meri summistæ.

§. II. Alia dicitur speculativè tantùm probabilis, alia etiam practicè; quam divisionem varii variè explicant, uti videre est apud *Moyam* de op. prob. q. 2., nam aliqui vocant speculativè probabilem, quæ objectum tantùm considerat non referendo ad praxin, uti si dicam, valet baptismus in aqua rosacea; quæ autem dicit licere saltem in necessitate baptizare in aqua rosacea, est practicè probabilis: alii vocant speculativè tantùm probabilem, quæ licitè redigi non potest ad praxin, sic potest mihi esse speculativè probabile, quòd animal à longè se movens sit fera, non ideo tamen est practicè probabile, quia mihi licitum non est in illud jaculari: alii dicunt illam speculativè probabilem, quæ absolute per nos reduci non potest ad praxin, uti hæc, globus terræ potest loco moveri; si autem simul ad praxin reduci possit, dicetur simul nobis practicè probabilis: alii cum *Moya* eam vocant speculativè tantùm probabilem, quæ asserit aliquid licere, præscindendo à circumstantiis personæ, loci, temporis &c. uti si dicam, licitum est pingere; practicè probabilem vocant, quæ dicit aliquid alicui hic & nunc licere v. g. quia servile non est, hinc mihi licitum est hoc etiam festo die pingere: alii dicunt illam esse tantùm speculativè probabilem, quæ est de objecto secundùm se licito, quia tamen non potest ad praxin deduci, quin accedat aliqua circumstantia illicita, hinc non erit practicè probabilis, uti secundùm *Terill.* si dicam, licitum est secundùm se attingere corpus alienum nudum, id enim licitè faciunt Chirurghi, ut in necessitate medeantur, quia tamen ordinariè non fit ejusmodi tactus, quin in tangente suboriantur pravæ commotiones & adsit periculum consensûs in delectationem veneream, hinc ordinariè non est practicè probabile, quòd licitum sit

fit attingere corpus alienum nudum: denique recentiores, ut has omnes explanationes concilient, dicunt illam esse speculative tantum probabilem, quæ vel de praxi nihil enunciat, vel tantum procedit habitâ ratione principii universalis, non consideratis illis, quæ cum praxi communiter conjunguntur; è contrâ dicunt illam esse etiam practice probabilem, quæ enunciat licitam esse praxin post omnia considerata, quæ in praxi apta sunt contingere: & cum his communiter loquemur.

§. III. Alia dicitur probabilis quoad se, alia 116
quoad nos: probabilis quoad se est, quæ à parte rei nititur motivo gravi, licet fortè ejus gravitas à nobis non agnoscat; probabilis quoad nos, quæ invincibiliter à nobis judicatur niti motivo gravi, quamvis reipsa grave non fit, ideoque opinio talis, quæ reipsa non nititur motivo gravi existente sed tantum præsumpto vel existimato, licet secundum se non fit reipsa probabilis, tamen respectivè ad intellectum nostrum ita dispositum censetur probabilis. Opinio probabilis quoad nos subdividitur in certò, probabiliter, tenuiter & dubiè probabilem, uti dicitur à n. 119.

Q. 20. *An omnis opinio speculative probabilis, etiam fit practice talis.* R. Negative cum Carden. in 1. Crisi d. 14. c. 2. & d. 56. c. 3. contra Caram. J. Sanch. F. Lugo & alios, Ratio est, quia potest dari actio alioqui licita, quæ in praxi exerceri non possit absque circumstantia scandali aut irreverentiæ, vel absque periculo peccandi aut damni proximo causandi, uti constat in exemplis n. 115. alatis aliisque similibus, sic enim etiam speculative probabile est consecrationem in pane siligineo esse validam, tamen non est probabile practice, quia probabile non est, quòd liceat in pane siligineo consecrare.

118 *Respondet* Caramuel, si in praxi addatur nova circumstantia, quæ non fuerit considerata in speculatione, fore casum diversum, circumstantia enim nova mutat casum: *Contrà* est, manet hoc, quòd praxis possit superaddere circumstantiam non consideratam à speculatione, & ideo opinio non sit practicè probabilis, quamvis fuerit talis speculativè; patetque etiam in hoc exemplo, nam si à superiore mihi prohiberetur usus alicujus sententiæ probabilis, illa respectu mei maneret speculativè probabilis, non tamen practicè: videri tamen potest *Illf. t. 1. d. 1. n. 69.* non malè explicans Auctorum aliorum sententiam.

119 *Q. 21. Quanam opiniones dicantur certò, probabiliter, tenuiter, dubiè probabiles, R.* Certò probabiles dicuntur, quarum probabilitas certò nobis innotescit; tantùm probabiliter probabiles sunt, quarum probabilitas innotescit tantùm probabiliter; tenuiter probabiles sunt, quæ nituntur motivo ita levi, ut non mereatur assensum viri prudentis; dubiè probabiles sunt, de quarum probabilitate est prudens dubium: quæ omnia declarari possunt hoc modo.

120 §. I. Certò probabilis est opinio, quæ de facto viget inter auctores, quamque Ecclesia tolerat, nec sapientes improbant: si tamen alicui contra eam occurrerent novæ & gravissimæ rationes, desineret respectu ipsius esse certò probabilis,

121 §. II. Si sciam opinionem aliquam esse communem Theologorum, vel doceri à *S. Th.* & ejus schola, tunc est mihi certò probabilis: è contrà si vir magnæ auctoritatis dicat opinionem aliquam esse communem, vel à *S. Th.* & Thomistis doceri, poterò tantùm probabiliter judicare esse probabilem, non ero tamen de hoc certus, quia illius unius dictum non reddit me certum, quòd ita sit, nisi aliunde

de scirem ab eo inspectos esse auctores, de quibus testatur, & sufficienter intellectos.

§. III. Opinio, quæ ab omnibus communiter 122
asseritur esse probabilis, etiam est certò talis, licet
fortè alicui, qui rationes non expendit, videatur
esse falsa: item certò probabilis est, quam omnibus
diligenter expensis absolutè tenent ut veram quin-
que aut sex Theologi probitate, iudicio & scientiâ
præstantes, si de probabilitate non dubitent, etiam si
alii communis rejiciant ut falsam, si enim isti prio-
res ita absolutè teneant, dubitari non potest, quin
habeat rationem gravem.

§. IV. Non ideo præcisè debet opinio censeri 123
probabilis, quòd doceatur ab uno auctore impresso,
ut à n. 153. dicitur: neque ideo præcisè, quòd do-
ceatur etiam à multis, & non sit damnata ab Eccle-
sia ut dicitur à n. 136.

§. V. Illa opinio est viro probo & docto certò 124
probabilis, quam ipse scit se diligenter discussisse, &
experitur se sine passione vel inordinato affectu ob
rationes graves tenere ut veram.

§. VI. Certum videtur dari posse opiniones tan- 125
tùm probabiliter probabiles, ut evincit *Teril.* in
Reg. q. 32. contra *Eliz.* in app. q. 4., nam 1. proba-
bilitas opinionis est objectum indifferens, ut sciatur
vel ignoretur, non aliter ac quævis alia veritas, er-
go etiam est indifferens, ut tantùm probabiliter co-
gnoscatur. 2. licet certus sim opinionem, quam *S.*
Th. & Thomistæ docent, esse certò probabilem, ta-
men si certus non sim, sed tantùm à viro Theologo
audiam aliquam opinionem esse *D. Th.* & Thomi-
starum, tantùm probabiliter cognoscam probabilita-
tem illius opinionis, ideoque erit mihi tantùm pro-
babiliter probabilis. 3. Opiniones, quas aliqui ne-
gant, alii affirmant esse certò probabiles, non sunt
certò

certò probabiles, neque etiam sunt certò, sed tantùm probabiliter improbables, propter auctoritatem & motiva negantium, manent tamen etiam propter auctoritatem & motiva affirmantium probabiliter probabiles, falsum enim est, quòd motiva tum se elidant, uti intelligetur ex dicendis à n. 261.

§. VII. Opiniones tenuiter probabiles habent motivum, sed ita leve, ut censeatur imprudens, qui illi assentitur, ideoque rectè notat *Carden.* in 2. crisi diff. 4. n. 16. duos illos terminos, *tenuis probabilitas*, esse veluti oppositos, nam *Tò probabilitas*, simpliciter & absolute, dicit habere grave fundamentum, *Tò tenuis* autem hoc tollit, sicuti quando dico aliquem esse tenuiter prudentem, significo non esse absolute prudentem, sed habere parum prudentiæ seu defectum illius, possunt enim ejusmodi termini sumi æquivocè pro re vera & apparente, gravi & levi: inde infert *Carden.* n. 23. sententiam oppositam opinioni tenuiter probabili communiter esse moraliter certam aut ferè certam, quia cùm communiter occurrant rationes pro & contrà, si ratio pro hac sit tenuis, erit pro illa tantò fortior, adeoque accedet ad certitudinem.

§. VIII. Opinio tum est dubiè probabilis, 1. Si dubitetur, an motivum ejus sit grave an leve: 2. Si sapientes dubitent de probabilitate illius: 3. Si detur principium certum, & dubitetur, an ei repugnet opinio: 4. Si auctores ejus non sint, vel si dubitem, an sint omni exceptione majores, de quo dicitur à n. 160. 5. Si ratio ejus non videatur firma: 6. Si sit opinio singularis auctoris, qui rationem sufficientem non afferat: 7. Si unus vel alter tradat eam, & plures alii dicant eam vel improbabilem vel parum tutam vel rejiciendam: 8. Si auctor vel auctores ejus non sint diu probatæ auctoritatis, vel non sint
militi

mihî sufficienter noti ex suis scriptis aut aliunde :
Nec obstat, quòd sint multi, quia sæpe unus exscribit ex altero & sequitur velut ovis ovem. Videri possunt *Teril.* hic q. 5. & 6 *Carden.* in 1. *Crisi. d.* 1. c. 2. a. 4. d. 55. n. 30. d. 58 c. 2. Item in 2. *Crisi. d.* 4. à n. 35.

Objicies I. Ex hoc, quòd aliqui auctores graves dicant aliquam opinionem esse probabilem, non sequitur omnes debere dicere esse probabilem ; quia non valet ab aliquibus ad omnes, uti non valet à particulari ad universale, ergo falsum est, quod dicitur n. 121. & 122. *R. n. ant.*, valet enim argumentatio ab aliquibus ad omnes, quando illi aliqui dant rationem, quâ prudenter moveri debent omnes, v. g. si decem periti aurifabri dicant aliquid esse aurum, omnes habent rationem dicendi esse aurum, & sicuti potest valere à particulari ad universale, si proberur, quòd illud particulare habeat in se rationem, quæ se extendat ad universale, uti cum dico, *Petrus est animal, & reliqui homines habent naturam similem Petro, ergo etiam reliqui homines sunt animal*, ita hic, est enim idem, ac si dicam, *est grave motivum, propter quod S. Th. cum sua schola hoc dicit, ergo est grave motivum, propter quod omnes hoc dicant* : videri potest *Ill. d.* 1. n. 63.

Obji. II. Omnis opinio probabilis, si sit immediata & per se nota, est per seipsam evidenter probabilis ; si autem sit mediata & per aliud nota, deducitur ex aliqua immediata, ergo per hanc est etiam evidenter probabilis, ergo falsum est, quod dicitur n. 125. ita *Eliz. R.* 1. Mediatè probabilis potest tantum probabiliter deduci ex probabili immediata, ratione connexionis objectivæ tantum probabilis, uti si argumenter per illationem à pari, à contrario, à majore ad minus &c., maxime si illatio fiat in figura & modo imperfecto syllogizandi, cujus eviden-

evidentia non satis appareat. R. 2. Etiam immediate probabilis potest ob dispositionem imperfectam intellectus ita apprehendi, ut appareat tantum probabiliter probabilis.

130 *Inst.* I. Probabiliter scibile non est simpliciter scibile, sed ad summum probabile, ergo probabiliter probabile non est simpliciter probabile, sed ad summum dubie, quia sicut se habet opinari ad scibile, sic dubitare ad probabile, nempe tanquam imperfectum degenerans à perfecto, ita *Elix. Conf.* nam Tò *probabiliter*, non significat idem quod Tò *probabile*, ergo est diversum & quid minus, alioquin inepte repeteretur idem, uti si dicerem, scibiliter scibile, visibiliter visibile &c., si autem idem significet, quod prudenter approbabile, erit certò probabile, ergo R. n. conseq., Tò *probabiliter*, opponitur scibili, estque terminus alienans, cum dicat incertitudinem, ergo aliquid tantum probabile non est scibile, è contrà, Tò *probabiliter* non opponitur probabili, sed maximè illi convenit, nam probabile potest cognosci esse tale, vel certò vel probabiliter tantum.

131 *Ad Conf.* dico, per Tò *probabile*, significari objectum, quod cognoscitur, è contrà per Tò *probabiliter*, significatur modus, quo objectum probabile cognoscitur, unde non sunt idem: admitto autem, quòd probabile sit idem quod approbabile, sed hoc fieri potest per iudicium vel certum vel probabile tantum, uti dictum est: aliud est de istis, scibiliter scibile, &c. nam in his & similibus, modus attingendi significatus per adverbium, *scibiliter*, &c. est unicus, qui etiam significatur per ipsum nomen adjectivum scibile, hinc frustra repeteretur, è contrà modus attingendi significatus per Tò *probabiliter*, non est unicus, quo cognosci potest probabile, cum etiam cognosci possit certò, ergo non frustra additur.

Inst.

Inst. II. Illa probabilitas opinionis probabilis vel cognoscetur certò vel tantùm probabiliter ; si certò, erit certa probabilitas ; si tantùm probabiliter, dabitur processus in infinitum, ita *Eliz. R.* Judicium directum circa probabilitatem opinionis erit tantùm probabile, habeo tamen aut habere potero simul iudicium reflexum, quo certò cognoscam illud iudicium probabile existere in meo intellectu ac niti motivo probabili tantùm, in quo iudicio sistam.

Inst. III Saltem sic opinans non dicet absolute, sic mihi videtur, nam hoc esset dicere, sic mihi est absolute probabile, sed dicet, sic mihi videtur videri. *R.* Absolute dicit, probabilitas illius opinionis mihi videtur dari in rerum natura, ubi *probabilitas* est tantùm objectum, actus autem id enuncians, absolute id enunciat, sed ex motivo tantùm probabili, ergo absolute dicit, sic videtur, id enim potest absolute dici vel certò vel tantùm probabiliter, uti sæpe dictum est.

Q. 22. Quanam opinio dicatur probabilior. R. 134

§. I. Probabilior intrinsecè est, quæ pro se habet meliores rationes ; probabilior extrinsecè, quæ pro se habet maiorem auctoritatem : quòd si una habeat rationes meliores, & altera maiorem auctoritatem, illa simpliciter est probabilior, quæ habet rationes meliores, quia auctoritas fundatur in rationibus, nec auctores plus valent, quàm valeant rationes, quas afferunt, vel quas præsumuntur habere, uti dictum est n. 113.

§ II Si opiniones sint circa revelata, illa est probabilior, pro qua videtur potius stare revelatio ; si circa res spectantes ad jus positivum, illa est probabilior, cui magis favent leges vel consuetudo, quæ est optima legum interpretis ; si circa mentem legislatorum vel circa intelligentiam legum, etiam naturalium,

lium, plus tribuendum est antiquis quàm recentibus, quia illi fuerunt magis vicini auctoribus legum & ab initio interpretes earum; si sint circa materias fidei & morum, plus est tribuendum Sanctioribus quàm aliis, quia illi & ampliùs illuminantur à Deo & meliùs sciunt mystica discernere; circa materias attingentes conscientiam, plus tribuendum Theologis quàm Juristis; circa materias juridicas, plus Juristis, quàm Theologis &c., quia cuique in sua arte & professione est magis fidendum.

¶ 35 §. III. Major numerus auctorum, per se loquendo, facit majorem auctoritatem, quia plures oculi plus vident quàm pauciores: intellige tamen, cæteris paribus, nam S. *Aug.* de doctr. Christ 1. 2. c. 8. loquens de auctoritate extrinseca manifestè docet graviores auctores & pauciores posse æquivalere pluribus non ita gravibus, uti rectè expendit *Ess.* in app. a. 126. *Nav.* ait, quòd opinio, quæ docetur à sex doctoribus eam ex professo tractantibus sit censenda communior & probabilior, quàm quæ tenetur à 50. aliis, qui alicujus alterius auctoritatem sequuntur; & hoc demonstrat *Carden.* in 1. crisi. d. 11. c. 2. a 4. item in 2. crisi d. 3 n. 9. Similiter plus tribuendum est scribentibus absque passione & particulari affectu, quàm antecedenter affectis uni parti aut pro una æmulantibus, ideoque plus docentibus indifferenter & sine spe lucri, quàm advocatis unius partis; plus liberè dicentibus, quòd sentiunt, quàm obligatis ad sequendum unum auctorem vel certam viam. Videri potest *Laurent.* hìc d. 4. à n. 62.

¶ 36 Q. 23. An opinio aliqua censei debeat probabilior vel etiam probabilis, hoc ipse quòd doceatur à pluribus vel à multis. R. Cum *Carden.* in 1. crisi d. 11. à n. 197. non semper, uti ostenditur in exemplis apud *Carden.*, nam

Quinque

Quinque Auctores docent, quòd contritio perfecta non semper fit conjuncta cum remissione peccatorum: quòd possit revelari confessio ad probandum valorem matrimonii; aut ad impediendum, ne invalidè contrahatur: quòd Doctor in Theologia vel Jure Canonico possit sine Episcopi approbatione audire Confessiones: quòd Sacerdos possit consecrare extra Missam pro viatico infirmi: quòd Matrimonium fidelis cum hæretico sit invalidum.

Sex docent, verba non esse de essentia absolutio- nis sed alio signo perfici posse: Eum, qui se pollicitus est Religiosi, non teneri in confessione explicare circumstantiam sacrilegii: non esse mortale, si confessarius revelet veniale; nec si revelet peccatum publicum pœnitentis: non posse omnes Sacerdotes absolvere in articulo mortis.

Septem docent, non omnia Sacramenta fuisse à Christo instituta: Episcopum hæreticum vel degradatum vel à Papa impeditum invalidè ordinare: non licere communicare nisi cibo digesto & capto somno: Matrimonium consummatum posse dissolvi saltem auctoritate Papæ per professionem religiosam: matrimonio clandestino valido non legitimari prolem antea susceptam, uti refert *Sanch.* de matr. l. 3. d. 44. n. 2.

Octo docent, non esse mortale solenniter administrare Sacramenta in mortali: posse fidelem in mortali constitutum & contritum accedere ad communionem sine confessione, si speret brevi ad futurum Confessarium, cui devotius confitebitur: posse Papam dispensare in impedimentis jure naturali dirimentibus matrimonium.

Novem docent, Prælatos regulares posse sine approbatione Episcopi audire confessiones sæcularium.

Decem docent, votum non peccandi non posse

E

commu-

commutari : Diaconatum non esse verum Sacramentum Ordinis : concubitum Clerici in Sacris esse simplicem fornicationem , uti refert *Sanch.* l. 7. d. 27. n. 20.

142 *Duodecim* docent, non violari sigillum per revelationem peccatorum committendorum : Christum non consecrasse verbis sed solâ voluntate vel alio signo externo.

143 *Tredecim* docent, mappas Altaris non necessario debere esse benedictas.

144 *Sedecim* docent, infantes sine ullo baptismo decedentes posse aliquibus casibus salutem consequi.

145 *Viginti quinque* docent, omnes gradus consanguinitatis vel affinitatis *Levit.* 18 prohibitos dirimere matrimonium jure naturali.

146 *Viginti octo* docent, matrimonium Eunuchi carentis utroque testiculo esse validum : in quibusdam causis Ecclesiasticis posse cognoscere & judicare laicos, uti refert *Carden* n. 248.

147 *Quadringinta & plures*, quos referunt *Sanch.* l. 6. d. 16. n. 2. *Arfd.* T. 2. p. 2. tr. 1. c. 3. q. 16. *Stozl.* 2. n. 244., dicunt Confessarium, qui ex confessione novit pœnitentem esse indignum officio, posse ideo illi in electione gratuita & secreta suum suffragium negare : Sententiæ autem illæ omnes sunt improbabilis & oppositæ illis sunt certæ, ergo præcisè numerus auctorum, etiam Catholicorum, non facit sententiam esse probabilem : *Nec obstat*, quòd Ecclesia vix possit ignorare ejusmodi opiniones teneri, & tamen non semper damnet, nam *Ecclesia Dei*, inquit *S. Aug.* Epist. 119. c. 19. *inter multam paleam multa que zizania constituta, multa tolerat, & tamen qua sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat.* Ratio autem, cur numerus auctorum præcisè non reddat semper opinionem probabilem, hæc est,

148
149
150
quia

quia quandoque primi auctores ejusmodi sententiarum non satis examinarunt utrimque fundamenta, reliqui autem transcripserunt tantum, & similiter cœcè secuti sunt; quandoque successu temporis inventæ sunt novæ rationes convincentes aut principium certum in contrarium; quandoque emanarunt declarationes, per quas antiquatæ sunt ejusmodi sententiæ & elisa earum probabilitas. Sapienter dixit *Cardin. Sfondratus* in Reg. Sacerd. l. 1. §. 20. & l. 2. §. 14. n. 6. *Sunt opiniones instar monetae, cujus valor non ex numero sed pondere & metallo aestimatur: sic opiniones, non Doctorum numerus, sed major ratio, veritas & prudentia commendat, alioquin semper vincerent facti, quorum numerus, quam prudentum major est.*

Q 24. *Quis reserere possit & ad quem spectet* 150
judicare, an hæc vel illa opinio sit probabilis. R.

§. I. De probabilitate intrinseca opinionis possunt judicare soli doctissimi & in re morali versatissimi, non autem mediocriter docti, ita *Tapia, Moys, Carden.* in i. cr. d. 59 n. 4. Ratio est, quia ut sciatur, an hæc opinio sit intrinsecè probabilis, sciri debet, quid sit stricta probabilitas, item conferri debent motiva hujus & oppositæ opinionis, ac considerari, an motiva pro hac non sint fortè levia, dubia, æquivoca, Sophistica, item an non pro contraria sint motiva certa, hoc autem non possunt nisi viri doctissimi & in re morali versatissimi, ergo. Notat autem specialiter *Gran.* viris ingeniosis parum in re morali versatis maximum esse periculum hinc errandi, nam facile nova inveniunt, & quæ invenerint, facile judicant certa, (quia suum cuique pulchrum) cum tamen aliis sapientibus sæpe videantur frivola.

§. II. Vir mediocriter doctus potest judicare de 151
 probabilitate extrinseca opinionis, si statum quæstio-

nis rectè intelligat, & assertam inveniat in auctoribus hujus ætatis omni exceptione majoribus, si enim hi affirmant nisi gravi fundamento aut esse probabilem, credere potest, quia scit alios prudentes ita judicare, ita *Carden.* n. 7. *Dixi*, hujus ætatis, nam multæ opiniones antiquorum amiserunt probabilitatem, ut constat ex q. præced., deinde multæ etiam recentiorum per damnationem Pontificum etiam amiserunt probabilitatem, ut à n. 201. dicitur, de hoc autem admonebunt auctores, qui hac ætate & post damnationes factas scribunt.

152 §. III. Si auctores opinionis non sint notoriè omni exceptione majores, non poterit de probabilitate extrinseca opinionis judicare, nisi doctissimus & in re morali versatissimus, ita *Tapia, Gran. Carden.* n. 11. Probatum, nam valde difficile est rescire, an conditiones ad auctorem omni exceptione majorem requisitæ huic vel illi conveniunt, uti constabit ex dicendis à n. 160., rescire enim debet, an non fortè sæpe doceat ex levi fundamento, an non sæpe labores in æquivocis vel sophismatibus, an non doceat singularia & exotica sine sufficiente ratione &c. Ex his patet, quàm periculose procedant, qui quamlibet opinionem auctorum statim arripiunt, quia favet libertati, commodo, lucro vel voluptati suæ, & non examinant, imò sæpe ipsi discernere non possunt, an sit verè & practicè probabilis.

153 Q. 25. An auctoritas unius faciat opinionem esse certò probabilem. R.

§. 1. Alex VII. damnavit hanc 27. prop. Si liber sit a juvenis junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem. Ex damnatione illa patet, non ideo præcisè censeri debere opinionem probabilem, quòd doceatur ab uno

auctore

auctore etiam impresso, uti rectè ostendit *Moya* de op. prob. q. 4. §. 3., hinc propositio illa rectè damnata est, utpote nimis indefinita, cum certum sit quosdam auctores, etiam doctos, esse nimis laxos aut nimium sectari novitates, ac sæpe contra communem protrudere opiniones singulares non satis diligenter utrimque expensas & carentes sufficiente fundamento: notatque rectè *Carden.* in 1. cr. d. 57. damnatam illam propositionem fuisse radicem plurimarum conclusionum improbabiliam & scandalosarum. *Nec juvat*, quòd plures talis Auctoris libri censuerint & approbarint, ideoque videatur etiam horum auctoritas accedere, nam libros quandoque censent & approbant homines parum periti, vel qui non legunt attentè, vel qui dissimulant multa, & acquiescunt, si doctrina aperte non sit falsa aut contra bonos mores.

154

§. II. Unicus Auctor, si sit omni exceptione major, afferatque rationem, quam alii non considerarint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commodè solvat, quamvis doceat contra communem, poterit reddere opinionem suam certò probabilem, donec alii expensas vicissim ipsius rationes solvant & dicant non esse sufficientes, ita docent 23. Auctores cum *Carden.* d. 11. n. 2. 4. d. 55. n. 4. d. 57. c. 2. Plures idem affirmantes referunt *Mendo* in stat. d. 13. q. 15. n. 204. & *Moya* q. 3. & 4., qui assentitur: Idem docent *Sporer* n. 41. *Arsdekin* T. 2. p. 2. tr. 1 c. 2 §. 5. *Tamb.* in Dec. l. 1. c. 3. §. 3. n. 5. Ratio est, quia si istæ circumstantiæ adsint, prudenter judicatur habere rationem gravem pro opinione sua.

155

§. III. Homo rudis, cui vir probus, prudens & doctus dicit aliquam opinionem esse certò probabilem vel veram, potest censere esse talem, quamdiu

156

E 3

nemo

nemo illi dicit contrarium, nec ipse oppositum agnoscit, cum enim ipsemet examinare non possit, potest stare iudicio illius, de cuius probitate, prudentia & scientia dubitare non debet: hinc *S. Anton.* apud *Ess* in app. à 161. pro regula dabit doctis illud *Prov. 27. v. 11. Stude sapientia fili mi*; indoctis autem illud *Deut. 32. v. 7. Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuas & dicent tibi.*

157 §. IV. Si parochus vel confessorius vel Theologus, qui communiter habetur sufficiens & aptus muneri suo, dicat aliquid ex communibus dubiis esse licitum, reputari potest esse probabile, & talem sequens plerumque non errat, sed sequitur regulam verè & positivè probabilem, maximè si sit rudis, ita *Teril.* in *Reg* q. 53. n. 9.

158 §. V. *Obji. I.* Pro regula in Jure dicitur, opinio communis habenda est pro lege, ergo dicta n. 151 non sunt vera. *R.* Hoc ut plurimum intelligitur in materia legis humanæ, neque semper tenet, sed tantùm ordinariè, uti fusè ostendit *Carden.* in annot. post 2. part. 1. crisis à n. 26., & specialiter hic non tenet ob rationem datam n. 151.

159 *Obji. II.* *Aristoteles* ad probabilia ab extrinseco requirit, ut videantur omnibus vel plerisque vel maximè notis, uti dictum n. 113. ergo ad probabile est necesse, ut ita videatur pluribus. *R.* n. conseq., nam ibi agit de principiis, per quæ conclusiones probabiles inferuntur, & loquitur in plurali de probabilibus, hinc in plurali requirit sapientes, cum quo stat, quòd probabile in singulari possit haberi per sapientem, si rationem gravem afferat à reliquis non expensam vel non solutam.

160 *Q. 26. Quis Auctor dicatur esse omni exceptione major.* *R.*

§. I.

§. I. Ille est omni exceptione major, contra quem opponi non potest una harum exceptionum, vel
 1. quòd ejus opinio sit contra principium aliquod certum, tum enim est certò falsa & improbabilis: vel 2. quòd levi, æquivoco aut sophistico fundamento nitatur: vel 3. quòd ipse aliàs varia improbabilia & à cæteris Theologis reprobata docuerit, cum enim gravitas fundamenti dicatur relativè ad judicium prudentum, si hi aliquid communiter rejiciant ut improbabile, censeri non poterit grave: vel 4. quòd sit merus summista, qui sententias utrimque non examinatas à se, tantùm sumat ex aliis & solùm exscribat, tum enim stari non potest ejus judicio, cum incertum sit, an quæstionem bene intellexerit & argumenta penetrarit: si unum horum possit contra ipsum opponi, non est omni exceptione major: *Nec refert* quòd sit vir probus & doctus, adeoque videatur esse præsumptio pro ipso, nam cum alii viri probi & docti melioribus fundamentis nixi dicant illius opinionem esse improbabilem, est major præsumptio pro his, & sic major præsumptio elidit minorem, ita *Carden.* in 1. crisi d. II. n. 282. d. 55. n. 4. d. 57. à n. 7., ubi ostendit à probatissimis Auctoribus requiri omnes conditiones illas ad hoc, ut aliquis auctor possit opinionem suam reddere probabilem.

§. II. Rectè notat *Carden.* in 2. crisi d. 1. c. 13. 161
 per hoc nihil decedere de auctoritate alicujus Auctoris, quòd aliqua ipsius sententia sit postmodum damnata, dummodo ante damnationem fuerit à gravibus Theologis habita tanquam verè probabilis, talis enim invincibiliter erravit, & cum motivo, quod secundum prudentem tum judicium erat grave: & sic quoque SS. PP. inveniuntur errasse, de quorum auctoritate non ideo aliquid decessit: sic refert *Sanch.*

de matr. l. 7. d. 52. n. 5. *Sanctum Th. & S. Bonav.* docuisse omnes gradus affinitatis & consanguinitatis, in quibus matrimonium *Levit.* 18. prohibetur, facere illud jure naturæ illicitum, quod tamen nunc est improbable, neque ideo desinunt SS. illi DD. esse omni exceptione majores. Similiter *S. Th.* in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1. docuit valere Sacramentum pœnitentiæ, licet dolor absolutionem sequatur: item ibid. a. 3. q. 2. moribundum teneri confiteri laico, si desit Sacerdos; non credo autem nunc esse aliquem, qui eas opiniones dicat esse adhuc probabiles.

162 §. III. Illi non sunt meri summistæ, qui licet collegerint casus in parvas Summas, tamen id fecerunt post doctam Theologiam, præcipuè moralem, aut post examinatas Auctorum sententias, tum enim doctrinam suam jam antè cum rationibus suis cognitam sæpe cum magno judicio, collegerunt in compendia pro majore commoditate legentium, & tales sunt *Cajet. Navar. Tolet. Sa. Busenb.* aliique plures, qui pariter esse possunt omni exceptione majores.

163 §. IV. Auctor omni exceptione major vocari solet Classicus, quia nempe ejus auctoritas in scholis vel tribunalibus recipitur tanquam probabilis: qui autem non est hujusmodi auctoritatis, dicitur proletarius, nam apud Romanos plebei & qui erant parvæ auctoritatis dicebantur proletarii, uti habet *Aulus Gellius* in noct. Attic. l. 16. c. 10. & l. 19. c. 8., & tales proletarii, quamvis etiam multi sint, non faciunt opinionem suam probabilem, nisi alia adminicula accedant.

164 §. V. Auctor, cujus librum aut scripta non legi, non facit mihi opinionem suam probabilem, licet sciam esse promotum Doctorem Theologiæ in aliqua Universitate, nisi fortè ex fama publica vel aliunde factis resciam de ejus probitate & doctrina, nam alioquin

quin non potero esse certus, quòd materias debite excutiat, aut prudenter concludat, uti rectè *Carden.* à n. 20., & experientia docet promoveri multos ac etiam protrudere aliqua in lucem, qui non sunt omni exceptione majores.

§. VI. Licet inveniam in aliquo Auctore plures alios citatos pro aliqua opinione, ex hoc præcisè non semper potero prudenter judicare illam opinionem esse probabilem, tum quia non ideo scio, an ille citans, Auctores illos inspexerit vel intellexerit, & an ipse atque ab ipso citati sint omni exceptione majores, tum etiam quia citationes sæpissime fallunt, uti experientiâ didici, & qui pro una opinione citantur, sæpe stant pro opposita, ita *Teril. Moya. Carden.* à n. 23. Communiter tamen, quando Auctores citantes sunt aliunde satis noti de scientia & fidelitate, simulque citati sunt pariter satis noti, opinio relata censei poterit probabilis.

§. VII. Longum esset in individuo referre Auctores omni exceptione majores: *Cardenas* à n. 44. fuffimè probat omni exceptione majores esse *Suar. T. Sanch. Vafq. Valent. Molin. Less. Az. Nav.* Longè plures scio, sed invidiosum foret aliquos referre & alios omittere. Auctores Clasficos ex antiquis refert longo ordine *Az. l. 2. c. 14.* Quæ autem contra hîc dicta opponit *Eliz. l. 8. q. 5. & seqq.*, nullius sunt momenti.

Post hæc scripta incidi in librum, qui si verus est, nullus Auctor Jesuita est omni exceptione major: Titulus libri est, *Artes Iesuiticæ in sustinendis pertinaciter novitatibus damnabilibusque Sociorum laxitatibus. quarum 660. hîc exhibentur, SS. D. N. Clementi Papæ XI. denunciata per Christianum Aleophilum Salisburgi apud Amatorem Kerckhove 1703. A. §. 1. usque ad §. 27. habet 660. propositiones,*

nes, quarum velut Auctores refert Jesuitas: à §. 28. usque ad finem refert alia, quæ vocat *Artificia Jesuitica*. Auctor ille non audet prodere nomen suum, quicquid que autem sit, iudicio sapientissimorum Præfulum, Doctorum, aliorumque virorum, qui Jesuitæ non sunt, est iniquè malevolus, 1. quia sententias plurimas, si non omnes, quarum Auctores primi sunt alii, attribuit Jesuitis velut Auctoribus. 2. quia ad invidiam refert pro illis sententiis solos Jesuitas, cum evidens sit doctas esse & multas etiamnum doceri ab aliis plurimis. 3. quia sententias vel correctas vel nunc damnatas, quas antehac Auctores ex omni ordine, statu & conditione admittebant velut probabiles, adhuc attribuit Jesuitis, atque si ab illis approbentur in sensu reprobato, & postquam Ecclesia aliud declaravit. 4. quia sententias ab uno vel altero, etiam in privatis tantum thesibus, aut saltem à paucioribus Jesuitis doctas, & à plerisque aliis Jesuitis improbatas ac efficaciter confutatas, pergit referre veluti sententias Jesuitarum proprias. 5. quia aliquas sententias, quas omnes ferè Doctores etiamnum fatentur probabiles, refert tanquam laxitates intolerabiles & velut certò improbabilis. Hæc omnia demonstrare possem, sed non est operæ pretium.

Apologia doctrinæ Jesuitarum anno 1704. impressa Leodii, item alia similis anno 1706. impressa Coloniae justificat Jesuitarum doctrinam his propositionibus, 1. Jesuitæ in materia morum semper tenuerunt opiniones, quæ in scholis Catholicis eo tempore erant communes. 2. si Jesuitæ aliqui tenuerunt aliquas opiniones contra communem, in hoc secuti sunt alios non Jesuitas, & major pars Jesuitarum illis contradixit. 3. si aliqua opinio à S. Sede damnata fuit, eandem damnarunt Jesuitæ, nec permisissent à suis impunè doceri.

Quæ

Quæ Auctor famosus à §. 28. vocat artificia Jesuitica, plena sunt mendaciis & calumniis, ac virulentum hominis animum apertè detegunt.

Quod in in conclusione habet pag. 355. de vaticinio S. Borgia, hoc infideliter corrumpit, quia S. Borgia non dixit unquam tempus venturum, quo id eveniet apud Jesuitas, sed ita habet: *Sanè si nullà habità ratione vocationis & Spiritus, quo quisque impulsus accedit, litteras modò spectemus & alia exteriora talenta ac dona, veniet tempus, quo se Societas multis quidem hominibus abundantem, sed spiritu & virtute destitutam moriens intuebitur, unde existet ambitio &c.* Si nempe neglexerit vocationem & Spiritum, id autem speramus nunquam futurum, neque hæcenus est factum. Ex hoc uno loco potest lector facere conjecturam de sinceritate ac fidelitate scriptoris in reliquis. *Voluit audacter calumniari, quia scribit semper aliquid habere, maximè apud indoctos & imprudentes.*

Q. 27. *An opinio hac ipso sit probabilis, quòd deducatur ex aliis saltem probabilibus.* R. 167

§ I. Non semper, uti latè demonstrat Carden. in 1. crisi d. 7. & 8., sæpe enim fit, ut duæ propositiones seorsim sint probabiles, quæ tamen simul sumptæ non sunt probabiles, ideoque dicuntur non comprobabiles, unde quod ex illis inferetur, non erit probabile, v. g. *predeterminatio Physica tollit libertatem, sed datur predeterminatio Physica, ergo datur aliquid tollens libertatem: quantitas non distinguitur à substantia, sed quantitas panis manet in Eucharistia, ergo substantia panis manet in Eucharistia: utraque conclusio est hæretica, & tamen utraque sequitur ex præmissis probabilibus; ideo autem malè ita deducitur, quia præmissæ istæ non sunt comprobabiles, id est, non sunt tales, ut judicari possint*

possint esse simul probabiles aut simul aptæ movere ad unam conclusionem, hinc adæquatum motum conclusionis, quod est utraque præmissa per modum unius indivisibiliter movens, non est probabile, nec stimulat intellectum ad assensum conclusionis, nam si prædeterminatio Physica tollat libertatem, certum est eam non dari, & si detur prædeterminatio Physica, certum est, quod non tollat libertatem, quia de fide est dari libertatem; similiter si quantitas non distinguatur à substantia panis, certum est quantitatem panis non manere in Eucharistia, & si quantitas panis manet in Eucharistia, certum est quantitatem panis distingui à substantia panis, quia de fide est, quod substantia panis non maneat in Eucharistia, ergo utraque illæ præmissæ non sunt comprobabiles.

168 §. II. Quamvis præmissæ seorsim sumptæ essent evidentes, si tamen non sint simul verificabiles, conclusio ex eis deducta nequidem erit probabilis, uti in istis syllogismis patet, *probabile est prædeterminationem Physicam tollere libertatem, sed probabile est dari prædeterminationem Physicam, ergo probabile est dari aliquid tollens libertatem: probabile est quantitatem non distinguere à substantia, sed probabile est quantitatem panis remanere in Eucharistia, ergo probabile est substantiam panis remanere in Eucharistia: utraque præmissæ sunt evidentes, & tamen utraque conclusio est hæretica: Ratio autem jam supra data est.*

169 §. III. Conclusio illata ex duabus præmissis probabilibus tantum, semper est minus probabilis, quia ex duplici capite, nempe ratione utriusque præmissæ, habet duplicem & diversam incertitudinem: imò talis conclusio quandoque nullam habebit probabilitatem, uti patet in hac, *Baptismus in cerevisia est*

est validus, sed baptismus in expresso solo nomine SS. Trinitatis etiam est validus, ergo baptismus in cerevisia & in expresso solo nomine SS. Trinitatis est validus: Præmissæ sunt probabiles & conclusio est improbabilis.

§. IV. Opinio est certò probabilis, quæ certò noscitur inferri ex præmissis simul veris, quarum una est certa & altera certò probabilis, quia non potest esse majus periculum falsitatis in conclusione, quàm sit in præmissa certò probabili. 170

§. V. Opinio, de qua certum est, quòd probabiliter inferatur ex duabus præmissis certis & simul veris, est certò probabilis, quia certum est, quòd probabiliter connectatur cum veritate. 171

§. VI. Opinio, quæ ex præmissis probabilibus & comprobabilibus, tantùm probabiliter inferatur, habet minorem probabilitatem, quàm præmissæ, quia habet incertitudinem illati & illationis: unde etiam fieri poterit, ut nequidem sit probabilis, maxime in materiis juris positivi, potest enim legislator præcipere aut prohibere unum objectum, & non aliud, licet pro hoc esse potuerit eadem ratio præcipiendi aut prohibendi. 172

§. VII. Si præmissæ, etiam prout simul sumptæ per modum complexi indivisibilis, sint certò probabiles, & opinio certò rectè inferatur ex illis, hæc opinio etiam erit certò probabilis, quia in conclusione, quæ certò rectè inferatur, non potest esse majus periculum falsitatis, quàm sit in præmissis prout simul sumptis & indivisibiliter inferentibus conclusionem. 173

Q. 28. An bona sit hæc illatio, opinio illa est probabilis vel probabilior, ergo opposita est etiam probabilis. R. 174

§. I. Si in antecedente ponatur, opinio illa est tantum

tum

tum probabilis vel tantum probabilior, simulque significetur esse simile aut ferme simile motivum pro opposita, illatio erit bona, quia æquivalenter dicitur, & illa est probabilis, & hæc est probabilis, ita ut prior habeat æqualia aut majora pro se motiva.

175

§. II. Si antecedens dicat primam esse probabilem vel probabilioem simpliciter, præscindendo ab eo, an etiam sit certa necne, & an pro altera sint motiva necne, non ideo sequetur oppositam esse probabilem, nam si una sit certa, etiam dici potest probabilis, non specificè, seu probabilis tantum, sed genericè, id est, nitens gravi motivo, atque ideo approbabilis: item, si una sit probabilis tantum, & tamen pro altera nullum sit grave motivum, prior erit probabilis & altera improbabilis, e. g. si duo viri graves mihi dicant Petrum esse domi, hoc erit mihi probabile tantum, neque tamen ideo probabile erit oppositum: si quis nullius peccati sibi conscius accedat ad communionem, est ipsi probabile, quod accipiat gratiam, neque ideo oppositum erit probabile: probabile tantum est mihi, quod sis castus, nempe ex fama, neque ideo mihi probabile est, quod non sis castus, sed temerarius essem, si id judicarem: probabilius est hanc hostiam esse consecratam, sed non ideo est probabile non esse consecratam, alioquin liceret

176

iterum consecrare &c *Nec refert*, quod quando una dicitur probabilior, videatur innui, quod opposita sit probabilis, eò quod comparativum connotet positivum, nam in primis id non semper tenet, verè enim dico *S. Paulum* esse sanctiorem divite Epulone, quamvis hic nullo modo sit sanctus: deinde, quando dicitur, quod comparativum connotet positivum, sensus est, quod supponat positivum esse in illo, cui convenit comparativum, sed non ideo semper est in altero comparative opposito; & sic bene inferitur,
opinio

opinio est probabilior, ergo est probabilis, homo est sanctior, ergo est sanctus.

§. III. *Obi.* Si ex eo, quod aliqua opinio sit tantum probabilis & pro opposita sit motivum, rectè inferatur, oppositam etiam esse probabilem, uti dicitur n. 167., ergo quod magis probabilis fiet prima per nova argumenta, eò opposita etiam fiet probabilior, quia magis probato antecedente, ex quo aliquid sequitur, etiam magis probatur hoc, quod ex illo sequitur. *R.* n. seq. nam contrarium potius sequitur, quia probabilitas oppositæ non sequitur ex majoritate probabilitatis, quam habet prior, sed ex negatione certitudinis pro priorè, & ex motivo pro hac opposita, ergo quod prior per plures probationes magis accedet ad certitudinem, eò minùs movebit motivum oppositæ, adeoque plus decedet de probabilitate illius. 177

Q. 29. *Quando nam sententia aliqua dicatur moraliter certa R.* 178

§. I. Certitudinem moralem malè explicant aliqui per hoc, quod objectum ita proponatur, ut pro opposito nulla appareat probabilitas, nam pro eo, quod stellæ sint pares numero, nulla apparet probabilitas, neque tamen ideo moraliter certus sum esse impares.

§. II. Certitudo moralis duplex est, perfecta & imperfecta; perfecta est, quæ nullam obscuritatem aut dubium deliberatum, nequidem imprudens relinquit, uti cum dico, *datur Roma*: imperfecta est, quæ potest relinquere aliquam obscuritatem & admittere dubium deliberatum saltem imprudens, uti sæpe fit in objectis fidei, de quorum tamen existentia certi sumus: Ea autem certitudo credenda est sufficere ad honestatem electionis in rebus ad salutem pertinentibus, quæ moralis imperfecta est, sive, uti ait 179

ait *Ep.* in app. 2. 119. , quali in temporalibus ancipitis exitus rebus atque negotiis contenti esse solent homines , sui rerumque suarum temporalium minime negligentes , nec imprudentes ac stulti habiti in saeculo , hinc *S. Th.* 2. 2. q. 70. a. 2. universaliter pronunciat, materiam moralem talem esse, ut ei non conveniat perfecta certitudo.

180

§. III. Ad certitudinem moralem alicujus sententiae non requiritur, ut nulli omnino Auctores oppositam doceant, aut ut oppositam docentes careant omni planè ratione , alioqui vix ullæ essent sententiae moraliter certae, cum ferè semper pro oppositis sint Auctores aliqui & rationes quaedam saltem leves : è contrà ut aliqua sententia sit moraliter certa, non sufficit, quòd sit longè probabilior, aut etiam probabilissima, per hoc enim nondum excedit terminos probabilitatis, neque opposita ideo est improbabilis : unde quamdiu pro opposita manet grave motivum sive ratio prudens & magni momenti, tamdiu hæc manet probabilis, & consequenter altera non est certa; ideoque universaliter valet, si hæc sententia sit certa, opposita non est probabilis, & si ista sit probabilis, opposita non est certa.

181

§. IV. Si omnibus ex veritatis amore utrimque perpensis aliquis judicet sententiam aliquam ita esse veram, ut vix supersit aliqua apparentia veri, vel scrupulus pro opposita, eò quòd etiam hujus argumenta ad satisfactionem intellectus facilè solvantur, talis sententia dici debet ipsi moraliter certa : hinc *Silvest.* & *Sanck* dicunt sententiam illam moraliter certam, si attentis motivis & circumstantiis meritò firmiter adhæreat objecto vel veritati ipsius, sive, inquit *Leß.* , quando aliquid prudenter ita creditur, ut contrarium non videatur satis probabile: quos loquendi modos refert & approbat *Gob.* in Exp. tr. 9. n. 297.

§. V.

§. V. In quæstione facti; item in quæstione de-
pendente à significatione aut ab usu vocum; item
in quæstione, an detur præceptum positivum, tradi-
tio vel consuetudo; item in illis, quæ pro mensura
sive regula magnitudinis aut parvitas suæ habent
commune iudicium prudentum; item in quæstione
de sensu vel intelligentia legis humanæ, sententia
communis DD. facit certitudinem moralem, ut
rectè *Carden.* in 1. crisi d. 12. c. 5. d. 55. & 57. à n. 31.,
quia cum tota probatio in his petatur à testimonio
hominum vel communi iudicio prudentum, ubi
certum erit hoc testimonium aut iudicium esse con-
trarium, certum erit nullum superesse prudens mo-
tivum pro opposito; & exemplum dabitur n. 583.

§. VI. Si consentiant illi, qui jus habent interpre-
tandi aliquam legem, statutum vel rescriptum; item
illi, qui ex professo de re illa scribunt, licet unus aut
alter, aut pauci non perpensâ ratione contrariæ sen-
tentia aliter dicant, horum opinio non ideo est pro-
babilis, sed opposita manet certa, ita *Carden.* d. 55.
n. 35. & *Mangionius* in apolog. f. 3. in fine.

§ VII. Certitudo moralis resultare potest ex
multis conjecturis probabilibus simul sumptis, ut
rectè *Carden.* d. 84. n. 74. hinc *S. Anton.* & *Silv.*
apud *Ess.* n. 159. & 211. sic habent, certitudo moralis
non consurgit ex evidentia demonstrationis, sed ex
probabilibus conjecturis, grossis & figuralibus ma-
gis ad unam partem quàm ad aliam se habentibus,
seu ex iis, quæ pluribus & maximè sapientibus ap-
parent vera. . . . ex his igitur sequitur, quòd in hu-
manis agilibus, quæ tantam habent varietatem, te-
ste *Aristotele* & experientia sufficit talis certitudo,
quæ non semper scrupulos omnes abiciat, sed suffi-
cit, ut contemnat seu superet eos: Similiter *Fagna-*
nus apud *Moyam* de op. prob. q. 6. n. 39. ait, etsi
F argumen-

argumenta seorsim considerata non concludant omnino, nec sint evidentia, sed tantum probabilia, tamen si simul jungantur & sint multi ponderis, sunt apta nata generare talem certitudinem, ut virtus apprehensiva cognoscat vel apprehendat absque ulla trepidatione rem ita se habere.

185 Q. 30 Quenam opinio dicatur improbabilis, levis, laxa, temeraria, erronea, errori proxima, scandalosa, piarum aurium offensiva, male sonans, suspecta, sapiens haresin, heresi proxima, haretica, blasphemata, schismatica, seditiosa, impia. R.

§. I. Improbabilis est, quæ nititur motivo fallibili, non gravi, sed simpliciter indigno, propter quod fiat assensus: quod si contra se habeat motivum certum, est certò falsa & dicitur improbabilis positivè, è contrà si non habeat quidem contra se motivum certum, attamen etiam pro se nullum habeat motivum grave, non erit certò falsa sed improbabilis negativè, uti hæc, *stella sunt pares*: notat autem rectè *Carden.* in 1. crisi d. 56. n. 682. & seqq. ad improbabilitatem opinionis satis esse, quod contra eam militet argumentum certum, quamvis argumenta pro ipsa non solvantur evidenter positivè, sed tantum probabiliter, sic enim est improbabile non dari libertatem, quia per fidem certum est dari, & tamen argumenta hæreticorum tantum probabiliter solvantur, vel secundum doctrinam scientiæ mediæ, vel secundum doctrinam prædeterminationis Physicæ, quæ utraque doctrina tantum est probabilis.

186 *Levis* est, quæ levi tantum fundamento nititur, ideòque dicitur levis in iudicando, qui illi assensum præbet.

Laxa in communiore sensu dicitur, quæ favet libertati, estque licentiosa: *Caram.* in Herc. Log. etiam illam vocat laxam, quæ in materia morum est improba-

probabilis & libertatem ampliat, ideoque qui eam usurpat, dicitur laxus seu laxæ manicæ, qui autem docet, scandalosus.

Temeraria positivè est, quæ contra se habet rationes firmissimas & pro se nullam gravem: temeraria negativè est, quæ nec pro se nec contra se habet rationem ullam, uti si iudices stellas esse pares, ita *Carden.* in 2. crisi d. 1. n. 136. dicit autem *S. Tb.* 2. 2. q. 53. a. 3. ad 2. *Illæ dicuntur fieri temerè, quæ ratione non reguntur, quod quidem potest contingere dupliciter, uno modo ex impetu voluntatis vel passionis, alio modo ex contemptu regula dirigentis, & hoc propriè importat temeritas.*

Erronea est, quæ contradicit conclusioni Theologicæ, sive deductæ ex una de fide & altera evidente.

Errori proxima, quæ contradicit tali conclusioni, quæ à plerisque non tamen ab omnibus habetur tanquam Theologica.

Scandalosa, quæ aliquibus præbet occasionem ruinæ seu peccati, & ideo quandoque dicitur perniciofa in praxi: Scandalosam etiam illam vocat *Arriaga*, quæ dat occasionem errandi in materia fidei vel malè suspicandi de fide: putat autem *Carden.* suprâ c. 10. & in 1. crisi d. 9. n. 372. eo ipso quòd propositio à *Papa* declaretur esse scandalosa in materia morum, etiam censerì debere improbabilem & falsam, quia declaratio *Papæ* est certa & perpetua, ergo debet nunquam inveniri posse ratio gravis pro ea opinione, ergo debet judicari pro omni tempore improbabilis & falsa: quidquid sit de hoc, de quo iterum n. 204. certum videtur posse propositionem aliquam esse scandalosam & veram, uti si occultam luxuriam *Monachi* revelares, vel apud innocentes vera loquereris de peccatis luxuriæ.

Piarum surium offensiva est, quæ in materia religionis

ligionis dicitur aliquid, si non falsum, attamen ini-
decens, uti si dicas, *hodie est festum meretricis*, in-
telligendo *S. Mariam Magdalenam*.

190 *Malè sonans* simpliciter est, quæ abutitur voci-
bus contra communem sensum fidelium, uti si pri-
mus & obvius sensus illius sit hæreticus, alter verò
latens sit catholicus.

191 *Suspecta*, quæ in rigore grammatico vera est, at-
tamen innuere videtur latentem hæresin.

192 *Sapiens hæresin*, cujus contradictoria non est qui-
dem expressè definita, sic tamen communiter re-
cipitur in Ecclesia, ac si esset de fide, ideoque præbet
judicium saltem probabile judicandi, quod in defen-
sore illius lateat hæresis.

193 *Hæresis proxima*, si sit contradictoria illi, quæ
vel à plerisque habetur tanquam de fide, vel per evi-
dentem consequentiam infertur ex una de fide & al-
tera indubitata

194 *Hæretica*, quæ formaliter opponitur alicui reve-
latæ, sive, cujus contradictoria est de fide.

195 *Blasphema*, quæ continet injuriam contra Deum
vel Sanctos.

196 *Scismatica*, quæ sine hæresi nata est inducere vel
promovere scisma, id est, separationem Ecclesiæ à
suo capite.

197 *Seditiosa*, quæ nata est concitare tumultum con-
tra Superiores in Ecclesia vel Rep.

198 *Impia*, quæ est contra cultum Deo vel SS. de-
bitum

199 §. II. Plures Pontifices apud *Arfd. T. 2. p. 2. c.*
7. § 1., & novissimè Innocent. XI. in fine Decre-
ti circa 65. propositiones damnatas præcipit in vir-
tute S. Obedientiæ, ut tam in libris imprimendis ac
manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus ac
prædicationibus omnes caveant ab omni censura &
nota,

nota, necnon à quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita, super iisdem propositionibus iudicium proferatur: si quis tamen sententiam aliquam appellet improbabilem vel levem, saltem in communiore sensu, non est censura, uti notant *Hurt. Lugo & Carden.* in 1. crisi d. 9. n. 297., neque si appellet laxam in communiore sensu, ideòque dicit *Carden.* quòd levissimum genus censuræ Theologicæ sit dicere temerariam, scilicet propriè, in sensu *S. Thomæ.*

§. III, Prohibetur tantùm formalis censura non autem si dicatur aliquid de sententia, ex quo inferri possit censura, alioquin nemo auderet dicere suam sententiam teneri à Scriptura vel à Tridentino, nam si hoc est verum, opposita est hæretica, quod tamen, quia ipse non dicit, nec adversarii concedunt, ipse etiam non censurat.

Q. 31. An & quomodo possit opinio amittere vel acquirere probabilitatem. R.

§. I. Certum est opinionem posse reddi ex probabili improbabilem vel ex improbabili probabilem, si nunc innotescat firma aliqua ratio contra vel pro illa, quæ ratio hæctenus ignorabatur; & sic sæpe factum esse ac fieri docet experientia, nam aliquando probabile fuit esse licitum ducere alteram conjugem dimissâ adulterâ, teste *S. Aug.* de adult. nupt. l. 1. c. 25. ubi ait, *Et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur;* id tamen nunc est certò improbabile: è contrâ ex *Conc. Triburiensi* referuntur hæc verba, *Cap. Illud etiam, 30. q. 3. Illud etiam nec Canonica Institutione definimus nec interdictione*

aliquā refutamus, sed propter eos, qui diversè de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus, si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuito & ita contingente rerum casu in conjugium duxerit, consilio maturiori servato habeat, atque honestè legitimo conjugio operam det; ubi innuitur, antè probabile fuisse id non licere; nunc verò certum est id licere. Vide dicta n. 161.

202 §. II. Certum quoque videtur, quòd Pontifex, etiam sine Concilio sit infallibilis in materiis, non tantùm fidei, sed etiam morum, quando aliquid circa materiam juris definit è cathedra, uti *Carden.* in 2. crisi d. 1. latè demonstrat ex Conciliis, SS. PP. & ratione: idem fusissimè evincit *Eugenius Lombardus*, sive *Cardin. Sfondratus* in Regali Sacerdotio l. 3. §. 2. & seqq., maximè ex illo Matt. 28. *Docete &c. Et, Ego vobiscum sum usque ad consummationem.* Quod etiam professi sunt 85. Episcopi Galliæ in litteris ad Inn. X., quas referunt *Plat.* p. 3. n. 124. & *Arsd.* controv. Eccl. Gallic., Dicitque *Lugo* de fide d. 20. n. 109. oppositum esse erroneum vel errori proximum; *Malder.* q. II. de fide a. 1. memb. 5. dicit pertinaciter negantem fore hæreticum. Tunc autem dicitur Pontifex loqui ex cathedra, quando post maturam deliberationem & debitum examen, circa rem spectantem ad fidem vel mores, ut caput Ecclesiæ edit decretum pro universali Ecclesia, quod ab omnibus fidelibus vult indubitanter admitti & observari, uti communiter explicant Auctores cum *Carden.* in 1. crisi d. 9 à n. 329. Itaque si Pontifex damnet aliquam propositionem circa materias fidei vel morum, quales sunt, quæ concernunt casus conscientiae, illa eo modo censi debet reprobata, quod eam damnat Pontifex; & videtur hoc sufficienter colligi ex prop. 29. ab Alex. VIII. damnata, quæ sic habet,

habet, *futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atq; in fidei questionibus decernendis infallibilitate.* Vide dicenda l. 4. n. 1406. Et ratio ulterior est etiam quoad quæstiones morum, si enim Pontifex in his erraret, vel approbando turpia, vel improbando honesta, erraret etiã Ecclesia, quæ probat & damnat idem, quod Pontifex: itaque si propositionem antehac probabilem nunc damnet Pontifex ut improbabilem, certò est improbabilis, uti contra *Caram.* & paucos alios evincunt *Carden.* post 1. crisi in annot. ad d. 9. post n. 93., in 2. verò crisi d. 1. c. 2. & *Du Bois* in præf. ad prop. ab Alex. VII. damnatas c. 8., & Ratio à priori omnium est, quia debet in Ecclesia dari regula infallibilis ad decidendas controversias, quæ frequentissimè occurrunt, non tantùm de rebus fidei, sed etiam de honestate vel inhonestate actionum, hæc autem regula non potest esse, nili definitio Pontificis & Ecclesiæ: unde rejiciendus est *Cajet.* inquit *Mendo* d. 13. n. 105., quando asserit in scibilibus rationem esse supra Pontificem, & eum non posse statuere quicquam contra eam, nec decidere, sed solùm Deum id posse; *Cajetani* Sententiam referens *Catharinus* dicit eum in eo loco perniciosè errare: Similiter rejiciendi sunt illi apud *Moyam* de op. prob. q. 4. n. 4., qui dixerunt per nullam damnationem elidi posse probabilitatem intrinsecam, nam licèt ratio videatur firma, potest tamen esse falsa & ut talis declarari à Pontifice, uti ex scriptura & Jure rectè probant *Moya* n. 4. & 5. & *Teril.* in Reg. q. 27.

§. III. Hactenus dicta certò tum tenent, quando decreta damnantia immediatè prodierunt ab ipso Pontifice post maturam deliberationem ex Cathedra loquente, certum autem est decreta damnantia

varias propositiones immediatè prodiisse ab ipſis Summis Pontificibus, v. g. ab Innocent. X. Urb. VIII. Alex. VII. Innocent. XI. Alex. VIII. Clemente XI. uti ipſimet teſtantur; itaque dubitari non poteſt, quin ea decreta debeant eſſe regula infallibilis circa materias fidei & morum, uti latè demonſtrat *Carden.* in 2. criſi d. 1. c. 3. 4. 5. Vide *vind. Gob.* p. 1. obſ. 3., ubi rectè probatur ad dictam infallibilitatem non prærequiri examen Episcoporum in orbe Chriſtiano, neque acceptationem aut conſenſum particularium Eccleſiarum.

204 §. IV. Ex dictis certum eſt, quòd propositiones eo modo damnatæ à Pontificibus amiſerint omnem probabilitatem practicam, quam antea fortè habuerunt, damnantur enim ut pernicioſæ in praxi, & doctrina uſuſque earum diſtictè prohibetur: *Dixi*, practicam, nam non eſt adeo certum, an etiam ſpeculativam amiſerint, nam licet *Carden.* relatus n. 188. dixerit propositionem certò eſſe falſam, ſi damnata ſit veluti ſcandalofa & in praxi pernicioſa, tamen in 2. criſi d. 23. n. 23. dicit opinionem, quæ tantùm ſpeculativè procederet, non incurrere damnationem; & *Luga* de fide d. 20. n. 134. *Moya* in ſel. tr. 3. d. 6. q. 5. §. 5. cum *Cano* de lociſt. 12 c. 10. §. *propositionem*, abſolutè docent propositionem aliquam poſſe damnari ut ſcandalofam aut offenſivam piarum aurium, neque tamen inde inferri poſſe, eſſe falſam; ſi tamen damnetur ut temeraria, & aliquis abſque nova ratione inventa iudicaret eſſe veram, eſſet error contra fidem, quia iudicaret nunc habere grave fundamentum, cujus oppoſitum pro nunc declaraffet Eccleſia.

205 §. V. Rectè notat *Thyrſus Gonz.* d. 1. §. 4. opinionem per decretum vel declarationem Eccleſiæ longè certius & univerſaliùs reddi practicè improbabilem;

habilem, quàm per novas rationes ab Auctoribus contra eam inventas, nam definitio Ecclesiæ certò & æqualiter obligat omnes ad opinionem illam deserendam, novæ autem rationes non semper ita sunt evidentes aut certæ, & illos tantùm obligant, quibus certæ videntur, fit enim sæpe, ut quod uni videtur certum, alteri nequidem verum esse appareat.

§. VI. *Obicit Eliz.* Nullus Pontifex potest re-
 etiam regulam morum reddere improbabilem, ergo
 vel opinio probabilis non est recta regula morum,
 vel Pontifex non potest talem opinionem reddere
 improbabilem, sed damnando declarat semper fuisse
 improbabilem. *R.* 1. opinionem probabilem non
 esse propriè regulam morum, sed tantùm applicare:
 sed hoc dissimulato, *R.* 2. Nullus Pontifex potest re-
 gulam morum per se rectam reddere improbabilem,
 transeat, per accidens tantùm rectam, n. anteced. &
 conseq., opinio enim probabilis, quæ falsa est, tan-
 tùm per accidens servit pro habenda recta regula
 morum, nempe ex suppositione ignorantia seu erro-
 ris invincibilis. Videri potest *Teril.* n. 9. item di-
 cenda n. 339. Quid Episcopi possint circa damnatio-
 nem librorum aut propositionum, dicetur l. 7. c. 2.
 d. 4. ad a. 5.

Q. 32. An decretum Pontificis etiam possit tollere
probabilitatem opinioni versanti circa materiam
facti. R.

Negant absolutè Jansenistæ & pauci alii, sed,
 §. I. Omnino tenendum est, quòd Pontifex in
 illis quæstionibus facti sit infallibilis, quæ ita con-
 junctæ sunt cum quæstionibus juris, ut à negata in-
 fallibilitate circa materiam facti valeat consequen-
 tia ad negandam infallibilitatem in quæstionibus ju-
 ris: Ratio est, quia cum ex vero non possit sequi fal-
 sum, sit autem falsum Papam esse fallibilem in mate-

riis juris, sequitur non posse esse fallibilem in materiis facti, si inde sequeretur etiam esse fallibilem in materiis juris.

208

§. II. Quando quæritur, an doctrina alicujus libri sit hæretica, duo quærentur, 1. quæ sit doctrina & sensus libri: 2. an illa doctrina in illo sensu sit hæretica: certum autem est hanc posteriorem quæstionem esse juris, debet enim solvi ex jure divino, considerando, an sit contra verbum Dei scriptum aut traditum: prior quæstio etiam non est puri facti, sed habet annexam quæstionem juris, nam suppositâ institutione vocum, si sermo sit ita clarus, ut ad judicandum de illo non sit opus ullis testimoniis hominum: sed quisque idioma intelligens apertè sciat hunc esse sensum, quæstio illa, *quæ sit doctrina talis libri*, solvenda est ex jure divino, suppositis legibus, quibus obligantur utentes vocibus, ut nempe in communi hominum commercio non utantur, nisi secundum voluntatem instituentium Reip. manifestam & à communitate acceptam: hinc quærere, an doctrina libri sit hæretica, idem est ac quærere, quem sensum conficiat contextus verborum, qui in libro est, suppositis legibus sermonis humani, ergo illa quæstio non est puri facti sed potiùs juris.

209

§. III. Ex his sequitur potuisse Pontifices infallibiliter declarare, quòd doctrina hæretica contineatur in libro Jansenii, & in sensu ab eo intento, quia non tam erat quæstio facti quàm juris, & licèt aliquid facti interveniret, tamen hoc connexum erat cum quæstione juris: quòd magis probatur, nam si Papa non possit infallibiliter definire, quòd liber & sensus Jansenii contineat hæresin, ergo nec potest definire, quòd hæc propositio contineat hæresin, *ad merendum sufficit libertas à coactione*, sed Papa potest ultimum definire, ergo & primum. Minor est

certa

certa & ab adversariis admittitur, est enim materia juris: maj. prob., liber & sensus Jansenii manifestè habet illam propositionem, ergo si non possit definire, quòd liber & sensus Jansenii contineat hæresin, nec potest definire, quòd propositio illa sit hæretica; ubi vides, quomodo negatâ infallibilitate circa hanc materiam facti neganda sit infallibilitas circa materiam juris. 2. Papa non tantùm ea potest definire, quæ habentur in scripturis vel traditione, sed etiam ea, quæ ex ratione naturali per conclusionem Theologicam deducuntur ex una de fide & altera naturaliter certa, uti probant *Canus* de locis l. 6. c. 8. §. *Sed & id. Mangionius* in apol. de solenn. vot. *Platel.* p. 3. n. 146., atqui conclusio illa, quòd liber & sensus Jansenii contineat hæresin, deduci potest ex una de fide & altera naturaliter certa, uti ostenditur in hoc syllogismo, *hæresis est, quòd libertas à coactione sufficiat ad meritum, sed liber & sensus Jansenii habet, quòd libertas à coactione sufficiat ad meritum, ergo liber & sensus Jansenii habet hæresin.* Maj. est de fide, min. est naturaliter evidens scienti latinum & legenti librum Jansenii, ergo. 3. si Papa non possit infallibiliter judicare de doctrina & sensu alicujus libri, eò quòd videatur esse materia facti, ergo nullus Canon fidei, nulla damnatio erit de fide, nunquam enim infallibiliter resciri poterit sensus Concilii vel Papæ definiens, quia de eo judicare erit materia facti. 4. Papa potest infallibiliter declarare alicujus libri doctrinam esse Catholicam, uti adversarii contendunt fecisse *Cælestinum I.* de quibusdam libris *S. Aug.* circa materiam gratiæ, uti notat *Platel.* p. 2. n. 482., ergo etiam potest infallibiliter declarare alicujus libri doctrinam esse hæreticam, est enim paritas, & æquè spectat ad Pastorem posse ovibus ostendere noxias herbas, ut fugiant, quàm

quàm sanas, ut sumant, neque tantùm extra libros, uti vult *Sinnichius*, sed etiam in libris ipsis, qui maxime vitandi sunt; & si potest sanas herbas cum libris ostendere cur non etiam noxias cum libris? 5. Eadem infallibilitate potest Papa declarare sensum totius libri, quàm declarare potest sensum cujusvis propositionis ex libro desumptæ, sed sensum cujusvis propositionis ex libro desumptæ potest declarare esse orthodoxum vel hæreticum &c., ergo etiam totius libri. Min. concedunt Adversarii: Major etiam patet, quia totus liber non sunt nisi propositiones singulæ; imò ex toto libro, qui mentem Auctoris pluribus proponit, faciliùs intelligitur sensus, quàm ex brevialiqua propositione, ergo. *Conf. 1.* nam Ecclesia non erravit in intelligendis & damnandis libris *Nestorii, Pelagii, Lutheri &c.*, ergo nec *Iansenii*, *Conf. 2.* nam *Iansenius* se & suum librum submitit examini ac iudicio Ecclesiæ, ut illud jam teneam, si tenendum; revocem si revocandum; damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse iudicaverit &c., uti habet in Epilogo, & confirmat in testamento suo, ergo agnovit Ecclesiam posse intelligere & iudicare de libri sui sensu, ergo idem agnoscere debent *Jansenistæ*.

Respondent 1. Nec Papam nec Ecclesiam posse scire, quem sensum in mente habuerit *Iansenius*. *Contra* est, neque nos hoc dicimus, Ecclesia enim non damnavit personam *Iansenii* velut hæreticam, sed librum: neque Ecclesia declaravit *Iansenium* in mente habuisse talem sensum, sed tantùm declaravit hunc esse sensum obvium, quem verba *Iansenii* præferunt.

Respondent 2. Ecclesiam non consensisse in condemnationem sensus *Janseniani*. *Contra* est, I. nam decreta Pontificum circa hunc sensum admissa sunt à tota

à toute Ecclesia, nec audent se opponere nisi clam *non-nulli iniquitatis filii*, uti loquitur *Alex. VII.*, non obest autem tales homines repugnare, uti non obest hæreticos repugnare decisionibus Ecclesiæ: estque pudor Jansenistas esse magis sollicitos de honore *Jansenii* quàm Ecclesiæ & Pontificum. *Contrà 2.* nam independenter à consensu Ecclesiæ est Papa infallibilis, Ecclesia enim debet à Papa doceri, & non contrà.

Respondent 3. Papam esse quidem infallibilem in declarando *qualis sit sensus* propositionis vel libri, sed non *quis sit sensus*. *Contrà est 1.* Papa vel etiam Ecclesia non potest declarare, qualis sit sensus, nisi prius sciat, quis sit sensus; v. g. declarare non potest, an sensus sit hæreticus vel Catholicus, nisi sciat, an voces significant hæresin necne, ergo si infallibiliter declarat sensum esse hæreticum, scit per voces significari hæresin, adeoque scit, quis sit sensus. *Conf.* nam si Judex non sit infallibilis in judicando, quòd hic homo sit reus, non potest esse infallibilis in imponenda illi hac vel ista pœna: si Medicus non sit infallibilis in judicando, quo morbo laboret homo, non potest esse infallibilis in judicando, qualis determinatè illi adhiberi debeat medicina, ergo similiter hic. *Contrà est 2.* vel Jansenistæ sciunt *quis sit sensus* quinque propositionum damnatarum vel non sciunt: si non sciunt, quomodo fateri possunt esse hæreticas? Si sciunt, ergò multò magis sciet Ecclesia; & consequenter Jansenistæ etiam sciunt, quem sensum Ecclesia tribuat Jansenii propositionibus & libro, nam tribuit sensum hæreticum & damnatum, ac nullum alium.

Respondent 4. Saltem quoad juratam subscriptionem formularii ab *Alex. VII.* præscripti sufficet promittere obsequiosum silentium, quia plerique

rique non legerunt librum Jansenii, ergo nec jurare possunt circa sensum à Jansenio per propositiones è libro excerptas intentum *Contra* est, nam Clemens XI. per Constitutionem n. 210. referendam declarat obedientiam, quæ Constitutionibus Pontificum & formulario debetur, non impleri obsequioso silentio, sed debere in animo damnari omnia, prout damnata sunt, in sensu à *Jansenio* intento; & addit huic damnationi corde præbendum esse assensum. *Nec obstat*, quòd non legeris Jansenii librum, nam nec hæreticorum libros legisti, quos damnas, nec fortè legisti omnes Canones Conciliorum & Tridentini, & tamen in professione fidei juras omnia, quæ in istis definita sunt: itaque satis est, quòd Ecclesia post tam exacta examina tibi proponat tæque edoceat propositiones illas contineri in libro *Jansenii*, & talem esse illarum sensum obvium, adeoque à Jansenio intentum.

Objicies. Ecclesia in Conc. Chalcedonensi probavit scripta *Theodoretis, Iba & Theodori Mopsuesteni*, & tamen postea in Conc. V. Constantino-politano dixit illa esse hæretica, ergo Ecclesia non est infallibilis in intelligendo sensu alicujus libri. *R.* Negando 1. partem antec., nam postquam Auctores illi in Conc. Chalced. explicassent sua scripta in bono sensu & detestati fuissent errores *Nestorii*, Ecclesia illorum personas iterum admisit, abstrahendo ab eorum scriptis, postea autem examinavit scripta, & hæc damnavit in Conc. Constantino-politano. Videri potest *Instructio Pastoralis* Episcopi Cameracensis edita 10. Febr. 1704.

310 §. IV. Papa non est infallibilis in quæstionibus particularibus facti non habentibus ullam connexionem cum quæstionibus juris circa fidem aut mores: Et hic est sensus quorundam Auctorum, quos male

malè citant pro se adversarii, uti ostendit *Arfd.* de Pontif. q. 3. *Ratio* est, quia infallibilitas talis nullibi ei promissa est, talia enim definire non spectat ad officium universalis Pastoris animarum aut capitis Ecclesiæ, cui appromissa est assistentia S. Spiritus ad dirigendas oves in rebus salutis, seu fidei & morum. Nunc habe Decreta Pontificum in negotio Janseiano:

SS. D. N. CLEMENTIS XI.

CONFIRMATIO ET INNOVATIO
CONSTITUTIONUM

INN. X. ET ALEX. VII.

Adversus Janseianam Hæresim editarum, cum nonnullis Declarationibus pro debita illarum observantia adjectis.

VINEAM Domini Sabaoth, quæ est Catholica Ecclesia, pro commissò Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere custodire atque excolere omni studio atque industriâ jugiter satagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad succrescentes in illa perniciosarum novitatum vepres radicatus evellendos, prudenti salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibuscumque inimici Hominiis molitionibus dejectis, firmitus semper atque exactius observentur, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter roboramus, atque aliàs desuper sollicitudinis & providentiæ nostræ partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad fidelem ac tutam orthodoxæ veritatis

tatis custodiam, necnon animarum pretioso Unigeniti Dei filii Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Sanè postquam fel. record. INNOCENTIUS Papa X. Prædecessor noster per quandam suam de super editam Constitutionem quinque famosas Propositiones ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus, *Augustinus*, exceptas à postolici censurâ judicii ritè confixerat, rec. mem. ALEXANDER Papa VII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores è Christi fidelium mentibus prorsus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum subtili rectas calliditate machinationes penitus evertendas, prædictam INNOCENTII Prædecessoris Constitutionem, toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, suâ in id pariter editâ Constitutione tenoris, qui sequitur, videlicet:

ALEXANDER Episcopus, Servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem. Ad sanctam B. Petri Sedem & universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili divinæ Providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneri nostri debito esse duximus, quàm ut sanctæ Fidei nostræ, ac sacrorum Dogmatum integritati traditâ Nobis à Deo potestate opportunè consulere-

Ac licèt ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abunde fuerunt definita novæ decisionis sive declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur,

vagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum.

Emanavit siquidem aliàs à sel. rec. INNOCENTIO Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, & Definitio tenoris qui sequitur, videlicet:

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei, Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm occasione impressionis libri, cui titulus, *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos insisterunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perspicuam ferremus sententiam: Tenor verò præfatarum Propositionum est, prout sequitur: *Prima.* Aliqua Dei Præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentem, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, quâ possibile fiant. *Secunda.* Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Tertia.* Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à coactione. *Quarta.* Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Quinta.* Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animam nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa purgatis pravatum opinionum erroribus tutò militare, & tan-

G

quam

Inn. X.
1653.

quam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè navigare & ad optatum salutis portum pervenire possit, pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, ac pluribus in S. Theologia Magistris, easdem quinque propositiones, ut suprà, Nobis oblatas fecimus figillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros variis coram Nobis actis Congregationibus prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

Cùm autem ab initio hujusmodi discussionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Christianifidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus: postmodum iteratis eisdem ferventibus, ac per Nos sollicitè imploratâ S. Spiritûs assistentiâ, tandem Divino Numine favente ad infra scriptam devenimus Declarationem & Definitionem:

Primam prædictarum propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentem, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, quâ possibile fiant. Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam; Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur; Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus,
etiam

etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: Falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem & hæreticam declaramus & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præfati nostri declaratione & definitione continetur, sub censuris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in jure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores & rebelles quoscunque per censuras & pœnas prædictas, cœteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, omnino cœerceant & compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem. Anno incarnationis Dominicæ 1653. 31. Maij.

Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri,

sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eodem intento non damnatas fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformident.

Nos, qui omnia, quæ in hac re gesta sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus cõstituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolicâ authoritate, eadem causa discussa est, eâ profectò diligentiam, quâ major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis imposteriorum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejus Fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis officii, ac maturâ deliberatione, præinfertam Innocentii Prædecessoris nostri constitutionem, declarationem & definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est, *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus & definimus, ac uti tales, inustâ scilicet eadem singulis notâ, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum sæpediti Cornelii Jansenii, cui titulus, *Augustinus*, omnèsque alios, tam manuscriptos quàm typis editos, & si quos forsitan imposterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii doctrina, ut supra damnata defenditur vel astruitur, aut defendetur vel astruetur, damnamus itidem atque prohibemus: Mandantes omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel scripto exponant vel interpretentur, publicè vel privatim,

privatim, palam vel occultè imprimant, sub poenis
& censuris contra hæreticos in jure expressis ipso fa-
cto absque alia declaratione incurrendis.

Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fra-
tribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolita-
nis, Archi-Episcopis, Episcopis, cæterisque loco-
rum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitori-
bus, Judicibus Ecclesiasticis ad quos pertinet, ut
præinsertam ejusdem INNOCENTII Prædeces-
soris constitutionem, declarationem ac definitio-
nem, juxta præsentem nostram determinationem,
ab omnibus observari faciant, ac inobedientes & re-
belles prædictis poenis aliisque juris & facti remediis,
invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis au-
xilio, omnino coerceant. Datum Romæ apud S. Ma-
riam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ
1656. 16. Octob.

Subinde verò, quò omnis Apostolicarum defi-
nitionum eludendarum aditus intercluderetur, me-
moratus ALEXANDER Prædecessor, priscum
Ecclesiæ morem sequutus, certam edidit formulam
ab omnibus Ecclesiastici Ordinis, tam secularibus,
quàm regularibus personis subscribendam per aliam
suam hac in re promulgatam Constitutionem te-
noris sequentis, videlicet:

ALEXANDER Episcopus, Servus servo-
rum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis
Apostolici Divinâ Providentiâ Nobis, quamvis im-
meritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissi-
mum, quæ Catholicæ Religionis integritati & pro-
pagationi, animarumque saluti & fidelium tran-
quillitati consulere apta & idonea esse judicantur,
animam & curam omnem, quantum licet in Do-
mino applicemus: Quamobrem Cornelii Jansenii
hæresim in Gallia præsertim serpentem, ab INNO-
CENTIO

CENTIO X. fel. rec. Prædecessore nostro ferè oppressam, adinstar colubri tortuosi, cuius caput attritum est, in varios gyros & cavillationum deflexus euntem, singulari constitutione ad hunc finem edità altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus.

Sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum & curarum nostrarum scopus, quibus operam & industriam suam egregio sanè studio venerabiles Fratres nostri Archi-Episcopi & Episcopi Regni Galliæ earundem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt, & Charissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo ac constantissimo animo porrexerit.

Cùm autem præfatus Rex Christianissimus eodem religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari exponique curavit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam Formulam subscriberent nostrâ auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, *Augustinus*, excerptas sincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantocyus expediri, ad quælibet effugia præcludenda omnesque removendos obtentus, flagitaverit.

Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes. Formulam infra scriptam ab omnibus Ecclesiasticis etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archi-Episcopis & Episcopis, necnon aliis quibuscunque Ecclesiastici Ordinis, tam regularibus quàm secularibus, etiam Monialibus,
Docto-

Doctoribus & Licentiatis, aliisque Collegiorum Re-
ctoribus atque Magistris subscribi districtè manda-
mus, idque intra tres menses à die publicationis seu
notificationis præsentium; aliàs contra eos, qui in-
tra terminum prædictum non paruerint, irremissibi-
liter procedi volumus juxta Canonicas Constitutio-
nes & Conciliorum Decreta.

Formula à supradictis subscribenda.

EGO N. Constitutioni Apostolicæ INNO-
CENTII X. datæ die 31. Maji 1653. & Con-
stitutioni ALEXANDRI VII. datæ die 16. Octo-
bris 1656. Summorum Pontificum me subjiçio, &
quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro,
cui nomen, *Augustinus*, excerptas, & in sensu
ab eodem Authore intento, prout illas per dictas
Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero
animo rejicio ac damno, & ita juro: Sic me Deus
adjuvet & hæc sancta Evangelia.

Decernentes insuper præsentis literas semper &
perpetuò validas & efficaces existere & fore, suosque
plenos & integros effectus sortiri & obtinere. Sicque
per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos
ubique judicari & definiri debere, sublatâ eis & eo-
rum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretan-
di facultate & autoritate; ac irritum & inane, si se-
cus super his à quocunque quâvis autoritate scien-
ter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Episco-
pis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis commit-
timus & mandamus, ut singuli in suis Diocæsibus ac
locis suæ jurisdictionis subjectis præsentis literas &
in eis contenta quæcunque exequantur, & executioni
mandari ac observari ab omnibus curent, & inobe-

dientes quoscunque per sententias & pœnas aliaque juris & facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio omnino compellant.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ,

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram Constitutionem & Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno 1664. 15. Febr.

Stimulatio
Bulle de
menhis XI. Sic equidem causa finita est; non tamen sic, ut pat erat, finitus est error Apostolico toties mucrone percussus. Neque enim defuere, nec adhuc defunt homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere & implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apost. Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ mem. CLEMENTIS Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, necnon binas similis mem. INNOCENTII Papæ XII. etiam Prædecessorum nostrorum die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respectivè datas literas in erroris sui patrocinium advocare, temerario planè

planè ausu non erubescunt, perinde ac si memoratus CLEMENS Prædecessor, qui eisdem suis literis se INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædecessorum Constitutionibus supradictis firmissimè inhærere, ac à dictis quatuor Episcopis veram & totalem obedientiam, adeoque Formulæ à præfato ALEXANDRO Prædecessore, sicut præmittitur, editæ sincerè per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admitturum fuisse protestatus fuit, re ipsâ admisisset; dictus verò INNOCENTIUS XII. Prædecessor, dum sapienter ac providè prædictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent ac præferunt, damnatas esse pronuntiavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à præfatis INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. Prædecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset; dictasque INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædecessorum constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset, iisdem ipsis literis, quibus eas in suo robore fuisse & esse, seque illis firmiter inhærere verbis apertissimis asserbat.

Præterea iidem inquieti homines sparsis undequaque scriptionibus ac libellis exquisitâ ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam præfatis Apost. Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut præmittitur, damnatum,

// interitus ut hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de
 // re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur,
 // Quæ quidem assertio, quàm absurda sit, & anima-
 bus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis
 hujus doctrinæ pallio non deponitur error sed ab-
 sconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesia
 illuditur, non paretur: Et lata demum filiis inobe-
 dientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim,
 dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica
 Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, ad-
 huc interitus abjicere & corde improbare detrectent.

Quin etiam eò impudentiæ nonnullos devenisse
 compertum est, ut veluti naturalis honestatis, ne-
 dum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non
 dubitaverint præfatæ Formulæ à memorato ALE-
 // XANDRO Prædecessore præscriptæ subscribi licite
 // posse etiam ab iis, qui interitus non judicant prædi-
 // cto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri:
 // Quasi verò, contra quàm scriptum est: Qui loquitur
 // veritatem in corde suo, Et: Qui jurat proximo
 suo & non decipit, hujusmodi erroris sectatoribus
 liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simul-
 que Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum
 ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod
 Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sen-
 tiunt; seque parere Constitutionibus Apostolicis
 profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc est, quòd nos ad opportunum & efficax tam
 exitiali morbo, qui ut cancer serpit & quotidie in-
 deterius vergit, remedium adhibendum, non minùs
 demandatæ Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudi-
 nis debito, quàm plurimorum Venerabilium Fra-
 trum nostrorum diversarum partium, ac præser-
 tim Regni Galliarum, Episcoporum zelo ac precibus
 excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholica
 Ecclesia

Ecclesiæ pacem subvertere impunè pergant, & simplicium ac pusillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet; neve ullus apud eos quoque, qui bonâ, ut aiunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortassè patiuntur, de mente ac sententia Apostolicæ Sedis ampliùs ambigendi supersit locus, Divino priùs tam privatis nostris, quàm publicè indictis precibus, implorato præsidio, ac re maturè discussâ, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis; Primò quidem præinsertas INNOCENTII X & ALEXANDRI VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque & singula in iis contenta authoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus, approbamus & innovamus.

Ac insuper ut quævis impofterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm (nam & impii in tenebris conticescunt) sed & interioriùs obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostrâ perpetuè valiturâ Constitutione; Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præferunt, ut præferatur, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solùm sed & corde rejici ac damnari debe- re, nec aliâ mente, animo, credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse; ita ut qui secus, aut contra, quoad hæc omnia & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus & singulis

singulis illarum censuris & pœnis omnino subjaceant, eâdem authoritate Apostolicâ decernimus, declaramus, statuimus & ordinamus.

Decernentes pariter easdem præsentibus & præinfertis literas semper & perpetuò validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, Sicque per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos ubique judicari & definiri debere, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate; ac irritum & inane, si secus super his à quocquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus & mandamus, ut singuli in suis respectivè Diœcesibus ac locis suæ jurisdictioni subjectis ipsas præsentibus literas & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequutioni mandari & observari ab omnibus curent, & inobedientes & rebelles quoscunque per censuras & pœnas præfatas, aliaque juris & facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant & compellant.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, etiam impressimanu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti & Ordinationis

nationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno 1705. 16. Julij.

Q. 33. Quid si opinio videatur doceri ab aliquo è SS. PP. v. g. à S. Aug., an adhuc possit desinere ejus probabilitas per damnationem Pontificis vel aliter. R.

211

§. I. Possè, quia nulli S. Patri in particulari, sed Ecclesiæ & Pontifici appromissa est infallibilitas per assistentiam Spiritus S.; & ideo docet Trident. sess. 4. in decreto de editione & usu Sacrorum librorum, quòd Ecclesiæ sit judicare de vero sensu & interpretatione scripturarum: damnavit etiam Alex VIII. hanc trigessimam propositionem, *Vbi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*: unde patet, quàm stulta sit illa locutio cujusdam Religiosi apud Fierland in Concordia triumvirali c. 2. a. 2. §. I., qui occasione Bullæ Innocentii X. damnantis 5. propositiones Iansenii dixit, *malo errare cum Augustino, quàm bene sentire cum Papa*: Sapienter dixit S. Th. 2. 2. q. 10. a. 12. *ipsa doctrina Catholicorum D D. ab Ecclesia auctoritatem habet, unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cuuscumque Doctoris.*

§. II. Non est statim credendum, quòd illi, qui se S. Augustini discipulos dicunt, semper ejus mentem assequantur, nam & ipsi inter se de ejus mente disputant, nec illis promissus est Spiritus discernendi verum sensum à falso: estque sæpe difficile intelligere S. Augustinum, maximè dum scribit contra

212

unam

unam hæresin, tum enim quandoque videtur favere oppositæ, ideoque rectè ait *S. Th.* in expos. aurea in cap. 1. Joannis lect. 7. *Antiqui Doctores & Sancti emergentes errores circa fidem prosequabantur, ut interdum viderentur in errores labi contrarios, sicut Augustinus contra Manichæos, qui destruebant libertatem arbitrij, taliter disputat, quòd videtur in hæresin Pelagii incidere; è contra dum oppugnat Pelagianos, videtur libertatem evertere.* Similiter *S. Greg. Thaumaturgus*, dum *Ælianum* ethnicum Christianos polytheismi insimulantem oppugnat, ita de Deo uno agit, ut cum *Sabellio* videatur confundere personas: *Dionys. Alexandr.* dum confutat *Sabellium*, ita personas distinguit, ut videatur ipsam naturam divinam dividere; quia nempe, ut inquit *Theodoretus* Tom. ult. dialogo 3. pag 170. *Vebemens cum adversariis contentio facit, ut modum excedatur.* Et specialiter de *S. Aug.* ait *Cardin. Valerius*, *Augustini scripta Clerici cautè legant, illi enim acumine ingenii præstitit, & de rebus difficultibus tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio præditi Viri eius libros legentes in errorem aliquando lapsi sint:* atque ita *S. Prosper* in Chronico testatur Prædestinianorum errorem ab *Augustini* libris malè intellectis sumpsisse initium: certè *Lutherus* lib. de Servo arbitrio ait, *Augustinus totus meus est: Calvinus* l. 3. de lib. arbitr. contra *Pighium*, *gloriatus sum, inquit, de Augustino, illum pro facti nostrum esse: & infra, nos nihil, quàm Augustinum sequimur: & iterum, etiamsi crepet Pighius vobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus sit noster: ideo Calvinistæ gloriantur Augustinum in scriptis Calvini plus loqui, quàm Calvinum ipsam. Ioannes VVicleff* ita Augustinum inclamabat & se sequi protestabatur, ut passim à suis vocaretur Ioan-

nes Augustini, teste Tb. VValdensi T. 1. l. 1. c. 2. n. 34. Berengarius se ita in Augustino fundabat, ut Lanfrancus in Biblioth. PP. T. 6. pag. 207. sic de ipso scribat, exultas in B. Augustini verbis, hinc vicisse te & Superiorem esse gloriaris &c. Guilielm. de S. Amore hæresin suam contra mendicantium Ordines fabricavit ex S. Augustino, teste S. Bonav. de paupert. q. 2. Claudius Taurinensis Iconoclastarum instaurator in Gallia, maximè se Augustino niti dicebat, teste Dungalò In resp. contra illum. Bajus occasione hujus prop. 27. Liberum arbitrium sine gratia Dei adiutorio non nisi ad peccatum valet, postquam damnata esset velut hæretica, pro excusatione in Apologia ad Pium V. dicebat, sunt ipsissima verba Augustini l. 3. contra 2. Epist. Pelagii c. 8. Iansenius pro suis quinque hæresibus solo ferme Augustino est usus, ideoque librum, in quo eas docet, vocat Augustinum: Plures Iansenista dixerunt Augustinum constanter tenuisse Christum pro solis prædestinatis esse mortuum, & tamen Innocent. X. & Alex. VII. hanc propositionem sciam Iansenii, Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse, damnarunt ut hæreticam; & in eo sensu, quasi Christus pro solis prædestinatis sit mortuus, damnarunt velut impiam, blasphemam & contumeliosam: Item Alex. VIII. damnavit hanc quartam, dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus, ergo fatendum est Augustini mentem esse sæpe obscuram, ut quæ malè explicari possit à legentibus: Neque hoc est Augustini vitium, sed illorum qui legunt, qui etiam, si se non submittant iudicio Ecclesiæ, ex ipsa Sacra Scriptura cudunt hæreses, affingunt enim sensum, quem nec scriptura habet, nec August. intendit.

Confe-

Consequenter cum isti, qui se *S. Augustini* discipulos dicunt, non ostendant se habere specialem assilentionem circa intelligentiam *S. Augustini*, errare possunt, ergo non est statim credendum, quod ejus mentem semper assequantur.

213

§. III. *S. Augustinus* non est irrefragabilis, nisi in illis, quæ Ecclesiæ auctoritas confirmat: patet, nam fassus est sæpè *S. Augustinus* se errasse, uti constat ex libris *Retractationum*, ideoque ipsemet dixit nolle sibi credi, nisi adesset simul alia auctoritas vel ratio: *errare in rebus obscuris, & quæ non erant eo tempore explicata ac definita*, inquit, *Canus* de locis l. 7. c. 1. n. 3. aut *Cypriano* aut *Ambrosio* aut *Augustino* accidit: *Abulensis* defens. p. 2. c. 18. ait, non est ergo necesse nobis, quacumque *Augustinus* scripsit, credere.... constat, quod *Augustinus*, cum scriberet, in multis erravit: & c. 85. de *Augustino* constat, quod potuit errare & in multis erravit, quorum quadam ipse retractavit, alia verò non potuit retractare: ipsemet *S. August.* relatus dist. 9. c. 4. sic de se loquitur in *Epist.* 8. ad *Hieron.*, negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo iudicio & nullâ temeritate damnari. Quantum autem & in quibus punctis circa materiam gratiæ auctoritas *S. Augustini* sit irrefragabilis, notant *Platel.* p. 2. à n. 482. & *Arsde.* in T. 2. p. 2. c. 7. §. 3.

214

Q. 34. Si opinio ab aliqua Sacra Congregatione Roma damnetur. an ideo amittat probabilitatem. R.

§. I. Variæ sunt Congregationes Romæ, nempe *S. Officii*, *Rituum*, *Tridentini*, *Indicis librorum*, *Episcoporum*, *Regularium*, *Cardinalium*:

Congregatio *S. officii* constat multis viris primariis, inter quos 5. Cardinales deputati à Papa, quor

rum

rum tres adesse debent, ut aliquid concludatur: huic concessit Paulus III. potestatem inquirendi, citandi, procedendi in omnibus causis tam hæresin manifestam quàm schismata, divinationes, Sacramentorum abusum concernentibus, uti etiam circa crimen sollicitantium ad turpia in confessione.

Rituum, præest consultationibus de moribus Ecclesiæ, de ritibus Sacramentorum, de horis Breviarii, de cultu & canonizatione SS., habeturque semel tantùm in anno.

Tridentini, resolvit dubia circa decreta morum contenta in Tridentino, & habetur singulis mensibus semel.

Indicis librorum, instituit examen circa libros prohibitos eorumque catalogos & indices.

Episcoporum, dirimit dubia ac lites circa jura, immunitates, privilegia, quæ referuntur à Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis aliisque Ecclesiasticis Prælati.

Regularium, respondet ad dubia proposita à Regularibus; itemque ad eorum controversias & circa apostasiam.

Cardinalium, agit de propaganda fide: habetur quolibet mense; semel de anno coram Papa adhibitis aliquot Curia Romanæ Prælati ac Religiosis viris: præsent illi Cardinales, inter quos Senior bis per annum eam habet in sua domo. Vide etiam Gobat in Exp. tr. 3 à n. 606.

§. II. Declarationes omnium harum Congregationum non sunt infallibiles, nisi fiant de speciali mandato Papæ & nomine ipsius toti Ecclesiæ, post rem cum eo collatam, tum enim non tam sunt declarationes vel decreta harum Congregationum, quàm Papæ ipsius, quas per tales Congregationes facit; de cætero tali Congregationi ut contradistinctæ à

H

Papa

215

vide. 574.

Papa nulla infallibilitas est appromissa, quamvis magna tribui debeat auctoritas, ita *Carden.* in 1. crisi d. 9. & *Teril.* in Reg. q. 14. n. 55. vide dicenda n. 574.

- 216 §. III. Si in aliqua Congregatione damnetur opinio post informatum Papam & ex mandato ipsius, illaque damnatio rite communicetur toti Ecclesiae, erit infallibilis & censebitur immediatè exire à Papa, ideoque opinio illa amittet probabilitatem, uti
- 217 constat ex dictis: *Nec refert*, quòd aliqui apud *Carden.* in 2. crisi d. 1. n. 99 dicant, quando Pontifex per Congregationem ita condemnat aliquid, tunc non loqui ut caput Ecclesiae, sed solùm ut caput & praesidem talis Congregationis, sicuti quando Rex Hispaniae in Congregatione Ordinis S. Jacobi aliquid praecipit, non praecipit ut Rex, sed ut Administrator Generalis illius Ordinis, nam tum Pontifex loquitur ut caput Ecclesiae, quando edit decretum pro tota Ecclesia, quodque vult ab omnibus observari, sed hoc facit in nostro casu, ergo: atque idem est de Rege Hispaniae, quando enim edit decretum pro toto regno, loquitur ut Rex Hispaniae, si edat pro ordine S. Jacobi, tunc tantùm loquitur ut praeses ejus.
- 218 §. IV. Responsiones Congregationis rituum dantur solùm pro dubiis singularibus interrogantium, hinc non promulgantur, nec obligant, inquit *Escob.*, maximè quando non sunt legitimè subscriptae & sigillo munitae, multò minùs sunt infallibiles.
- 219 §. V. Declarationes Cardinalium ad Tridentini textum adjectae ex Farinacio, non sunt authenticae, sed declaratae incertae sub Greg. XV. anno 1621. & sub Urb. VIII. anno 1631. uti testatur *Stalenus*: falsò quoque affingitur operi Farinacii edito Francofurti anno 1608. quòd illae sint decisiones Rotae Romanae, uti notat *Gobat.*

- 220 §. VI. Quid dicendum sit de Indice Romano quoad

quoad libros prohibitos, dicitur, quando de Censuris: an autem declarationes Cardinalium, Regulæ Cancellariæ, decisiones Rotæ vim habeant legum, dicitur à n. 574.

Q. 35. *An propositiones illæ damnentur, quæ vel continentur sub damnatis, vel inferuntur ex damnatis, vel ex quibus aliqua damnata inferri potest.* R:

§. I. Ex eo, quòd universalis sit damnata, non ideo damnata est particularis sub ea contenta, quia potest universalis esse falsa & particularis vera, v. g. nullum præceptum obligat sub mortali, est falsa & damnabilis; aliquod præceptum non obligat sub mortali, est vera & non est damnabilis.

§. II. Illa propositio, ex qua evidenter inferitur propositio damnata, censeri debet falsa & improbabilis practicè, quamvis non sit expressè damnata, quia propositio damnata, quæ inferitur, est falsa, ergo etiam illa, ex qua inferitur, censeri debet falsa, quia, secundum regulam dialecticæ, ex vero non potest sequi falsum, ergo si damnata, quæ inferitur, sit falsa, altera, ex qua inferitur, non potest esse vera; e. g. præceptum servandi festa non obligat sub mortali, est damnata, ergo etiam hæc, ex qua inferitur, nullum præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali, erit falsa & improbabilis practicè. *Conf.* quia contradictoria damnatæ debet esse vera, ergo hæc debet esse vera, præceptum servandi festa obligat sub mortali, ex hac autem evidenter inferitur, ergo aliquod præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali, ergo hæc contradictoria, nullum præceptum Ecclesiæ obligat sub mortali, erit evidenter falsa.

§. III. Propositio, quæ inferri potest ex damnata, non ideo censeri debet damnata vel improbabilis, quia dialectica dicit, quòd ex falso potest sequi verum, ergo ex eo, quòd inferens sit falsa, non sequitur,

quitur, quòd illata secundùm se sit falsa, v. g. præceptum servandi festa non obligat sub mortali, ergo qui per quadrantem laborat die festo, non peccat mortaliter; hoc consequens secundùm se est verum, & tamen rectè infertur ex antecedente falso ac damnato: Item, non tenemur proximum diligere actu interno, est propositio falsa & damnata, & tamen hæc illata, ergo non tenemur omni momento proximum diligere actu interno, est secundùm se vera & non damnabilis.

224 §. IV. Propositio, quæ infertur ex contradictoria propositionis damnatæ, est vera, quia contradictoria propositionis damnatæ est vera, ex vero autem non potest inferri nisi verum, v. g. contradictoria damnatæ est hæc, præceptum servandi festa obligat sub mortali, consequenter illa inde illata, præceptum servandi festum S. Andreæ obligat sub mortali, etiam est vera, videri potest *Carden.* in 2. crisi d. 1. c. 4 Circa propositionem, de qua dubitatur, an sit damnata, vide dicenda n. 890.

225 Q. 36. *Quomodo peccet, qui non observat decreta facta circa propositiones damnatas.* R.

§. I. Qui docet vel defendit aliquam propositionem damnatam, peccat mortaliter & incurrit excommunicationem majorem Papæ reservatam, uti constat ex verbis decretorum: neque in hoc est parvitas materiæ, semper enim grave est resistere doctrinæ Romanæ Cathedræ.

226 §. II. Etiam peccat mortaliter, qui alteri suadet, ut decreta illa non recipiat, uti mortaliter peccat, qui cunque alteri suadet, ut ne obtemperet præcepto graviter obliganti, est enim grave præceptum & obligatio illa decreta recipiendi, uti patebit ex dicendis.

227 §. III. Qui mente non dissentit à doctrina illorum

rum decretorum, sed tantum operatur contra illam doctrinam cum advertentia sufficiente, quod praxis illa sit prohibita, si operetur in materia levi, v. g. si utatur restrictione pure mentali, peccat venialiter, etiam ratione inobedientiae, quia Pontifices in virtute S. obedientiae & sub interminatione Divini iudicii omnibus & singulis praeter doctrinam, specialiter prohibent etiam praxin singularum istarum propositionum: si autem operetur in materia gravi, peccabit mortaliter etiam ratione inobedientiae in hac materia gravi, sicuti si quis fureretur contra expressam prohibitionem sui Superioris factam in virtute S. obedientiae, peccat etiam ratione illius inobedientiae.

§. IV. Quamvis aliquis in materia tantum levi operetur contra doctrinam ejusmodi decretorum, v. g. utendo restrictione pure mentali, si tamen simul dissentiat ab ea doctrina, & iudicet propositionem damnatam esse veram, aut Pontificem in tali damnatione errasse, peccat mortaliter, quia talis dissensus opponitur regulae fidei, ergo sicuti mortale est dissentiri minimo fidei articulo, ita & hic. Videri potest Carden. in 2. crisi d. 1. c. 15.

Q. 37. An promulgari debeant talia decreta damnantia propositiones, vel ab eis appellari possit. R.

Decreta, quibus damnantur propositiones, spectari possunt, vel ut declaratoria doctrinae perniciosae, vel ut prohibitoria, ne ea doctrina tradatur aut practicetur, vel ut poenalia, in quantum imponunt poenam excommunicationis illis, qui dictam doctrinam tradunt vel defendunt.

§. I. Decreta illa prout declaratoria sunt, si sint Romae promulgata, & id nobis constet, nos obligant, quamvis non sint promulgata hic in partibus, quia quamvis forte ad leges Pontificias requireretur

promulgatio in singulis provinciis, utà multi docent apud *Carden.* in 1. crisi d. 9. c. 20. a. II. , tamen illa non requiritur, ut hæc decreta, quatenus sunt declaratoria, nos obligent , quia si Romæ promulgata sint , certum est propositiones damnatas esse tales, quales eas declarat Papa , cùm errare non possit in materia fidei vel morum loquens ut caput Ecclesiæ, ergo si declaret esse in praxi perniciosas, scandalosas &c. , reipsa tales sunt.

231 §. II. Ad hæc decreta, in quantum prohibent praxin talium propositionum, non requiritur promulgatio juridica, sed sufficit notitia moraliter certa illius, uti pluribus ostendit *Carden.* in 2. crisi d. 1. c. II. , cùm enim pleræque propositiones damnatæ spectent ad jus naturale vel positivum divinum, hoc ipso, quòd Papa declaret illas esse in praxi perniciosas, significat esse prohibitas jure naturali vel divino, ad jus autem naturale vel divinum non requiritur promulgatio juridica, sed sufficit notitia certa: quòd si aliqua sint juris humani, adhuc ad illa prohibenda non requiritur promulgatio juridica, frustra enim est hæc, ubi adest notitia certa: quòd idem tenet de præcepto obedientiæ, à Papa lato, ne propositiones illas deducamus ad praxin, ut enim nos obliget præceptum Superioris, non requiritur promulgatio illius juridica, sed sufficit etiam notitia certa præcepti.

232 §. III. Ad illa decreta, in quantum pœnalia sunt, etiam sufficit notitia certa promulgationis Romæ factæ, uti colligitur ex dictis n. 231.

233 §. IV. Possit supplicari apud Papam pro suspensione pœnæ, quamvis supplicari non possit pro suspensione declarationis aut prohibitionis, uti clarè evincit *Carden.* c. 12. a. 1. , ubi a. 2. probat illa decreta, prout sunt declaratoria, non indigere populi acceptæ

acceptatione, nam veritas rejici non potest nec debet: prout autem sunt prohibitoria, etiam non indigent acceptatione, quia mala non possunt non esse & manere prohibita, potestque superior aliquid prohibere subdito licet invito, maximè Pontifex, qui à subditis potestatem imperandi non habet, sed immediate à Christo: Denique prout sunt pœnalia, si adesset gravis causa, qualis tamen non adest, posset populus non acceptare, mens enim Pontificum non est obligare ad talem pœnam, si justa esset causa illam deprecandi.

Q. 38. Quid præterea notari debeat circa damnationem propositionum. R. seqq. 834

§. I. Quando propositiones dicuntur damnari, prout jacent, sic intelligi debet, quod damnentur in eo sensu, quem verba habent secundum se ut separata ab omni alio contextu, non autem in eo sensu, qui fortè est in libro Auctoris talem propositionem habentis, fortè enim eam modificavit per antecedentia & consequentia: Excipe propositiones 79. Bajanas, & 5. Iansenii, quæ damnantur in sensu ab Auctoribus earum intento, ita *Estrix* in conf. triumv. in prologom. n. 7.

§. 2. *Arsdeckin* T. 2. p. 2. tr. I. c. 1. in fine docet propositiones copulativas communiter habendas pro damnatis quoad omnes partes: certum autem videtur id de omnibus dici non posse, & speciatim de his ab *Alex. VIII.* 24. Aug. 1690. damnatis: Bonitas objectiva consistit in convenientia objectivum naturam rationalem; formalis verò in conformitate actus cum regula morum: Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè... *bunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vite sue moralis.* Pœnatum Philosophicum seu morale est actus humanus 235

disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi; Theologicum verò & mortale est transgressio libera divinæ legis: *Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aternâ pœnâ dignum*: nam l. 2. n. 144. & l. 5. n. 59. ostendemus propositiones illas non esse damnatas, nisi ratione eorum, quæ diverso caractere expressa sunt.

1236 §. 3. Quando prohibetur, ut de propositione ejusmodi damnata nequidem disputativè publicè aut privatim tractetur, nisi forsan impugnando, sensus est, nisi ostendendo ejus falsitatem, unde qui rationes pro ea proponeret inter argumentandum & non solveret aut infirmaret, incideret in pœnas, quia sic defenderet, auctoritatem & robur addendo tali propositioni.

237 Q. 39. *An opiniones contradictoriæ possint esse simul probabiles. R.*

§. I. Possunt esse respectu diversi intellectûs, ut patet, sic enim diversi Judices opposita sæpe concludunt circa eandem causam; diversi Theologi vel Juristæ opposita resolvunt circa eandem quæstionem.

238 §. II. Idem intellectus non potest eodem tempore simul habere duas opiniones contradictorias, sive duo judicia directâ, quorum uno dicat, v. g. pingere diè festo est servile, pingere diè festo non est servile: patet, quia idem intellectus non potest simul judicare idem esse verum & falsum, idem esse & non esse, quod hic fieret.

239 §. III. Idem intellectus potest eodem tempore simul de duabus opinionibus contradictoriis, quæ vel simul in diversis intellectibus, vel successivè in eodem intellectu existere possunt, reflexè judicare, quòd

quòd sint probabiles, ita ut hæ duæ opiniones contradictoriæ sint duo objecta, de quorum singulis, non tantùm simul affirmet probabilitatem, sed etiam verè affirmet probabilitatem esse simul, quamvis neutram opinionem directam eliciat vel actu habeat, E. g. potest intellectus meus unico actu dicere; hæ duæ opiniones, *pingere est servile, pingere non est servile*, sunt strictè probabiles, & una non elidit probabilitatem alterius; est communissima cum Terillo de consc. prob. q. 5. assert. 8. contra *Eliz.* l. 2. q. 8. & seqq. *Gonz.* d. 7. §. 18. *Palav. Camargo* & paucos alios: *Prob.* 1. auctoritate *S. Aug.* apud *Ess.* in app. a. 127. sufficit hic locus *Epist.* 118. c. 7. ubi ait, *neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus*: quibus verbis manifestè innuit eo tempore fuisse probabile, & non licere & licere comedere ante summptionem Eucharistiæ: similiter loquitur c. 3., ubi rationibus ostendit probabile esse, quòd fiat laudabiliter, & quòd non fiat laudabiliter, si quis quotidie Eucharistiam suscipiat, unde neutram opinionem probat aut damnat, sed agnoscit utramque probabilem, remittens unumquemque ad piam suam fidem & affectionem, uti latius expendit *Ess.* a. 128. *Prob.* 2. experienciâ, nam de facto iudico has duas 240
opiniones Physicas, *continuum constat punctis, continuum non constat punctis*; similiter istas morales. *pingere die festo est licitum, pingere die festo non est licitum*, esse simul probabiles, evidens enim est mihi, quòd pro singulis sint motiva gravia & nulla certitudo: & licèt certum sit, quòd alterutra earum sit falsa, certum tamen etiam est unam earum esse veram, & quoniam incertum est, quænam determinatè sit vera, pro utraque autem affertur ratio, quæ vehementer alliciat intellectum ad assensum,

utraque determinatè redditur probabilis, non eo sensu, quasi detur probabilitas de simultanea utriusque partis veritate, hoc enim manifestè repugnat, sed quòd detur simultas duarum probabilitatum; quam distinctionem inter probabilitatem simultatis & simultatem probabilitatis si notasset *Eliz.* inquit, *Banholzer* n. 11., sua sibi sophismata facilè solvisset. *Conf.* nam si in eodem homine videam esse justitiam & luxuriam, homo ille respectu meæ voluntatis est amabilis propter justitiam & odibilis propter luxuriam, ergo similiter si respectu ejusdem objecti videam gravia motiva pro & contra, rectè dico pro eodem objecto esse motiva, hæc apta movere ad assensum, illa ad dissensum, hoc autem est assensum & dissensum esse probabilem, & consequenter etiam opiniones contradictorias esse probabiles, ergo.

§. IV. Idem intellectus potest eodem tempore elicere opinionem directam probabilem circa aliquod objectum, & simul habere actum reflexum, quo affirmet probabilitatem opinionis contradictoriæ, e. g. potest simul sic dicere, *continuum non constat punctis, probabile tamen est constare punctis; pingere die festo est servile, attamen etiam est probabile, pingere die festo non esse servile*; patet iterum, sic enim experimur nos judicare, & sic etiam passim legimus apud Auctores, qui postquam conclusiones suas posuerunt, vel ut probabiliores vel ut absolutè veras, nihilominus sæpe simul fatentur oppositas etiam suo iudicio esse probabiles. *Conf.* 1. nam odisse possum illum, quem judico amore dignum, ergo etiam dare possum assensum uni objecto, quamvis judicem etiam posse dari dissensum, in his enim probabilibus non determinatur intellectus per evidentiam aliquam, sed sæpe per voluntatem.

rem, quæ potest ad unam partem determinare & non ad alteram, uti à n. 398. & à n. 414. dicitur.

Conf. 2. nam aliqui judicant B. Virginem esse maculatè conceptam, & tamen simul judicare debent probabile esse, quòd sit immaculatè concepta, alioquin non posset Ecclesia velle eam coli sub titulo Immaculatæ Conceptionis, quod tamen certum est velle, ergo.

§. V. *Objs. 1.* Si occurrant motiva in utramque partem æqualia, hæc se mutuo elident; si autem pro una parte sint majora, hæc elident probabilitatem aliorum minorum, ergo duo contradictoria nunquam erunt simul probabilia. *R. n. antec.*, cujus falsitas intelligetur ex dicendis à n. 261.

Inst. I. Si unus dicat se vidisse Petrum domi, alter dicat se eodem tempore vidisse foris, hæc motiva se elidunt; ideoque etiam in jure statuitur, ut si utrimque sint pares testes, neutris credatur, sed idem est de quibuscumque motivis suadentibus contradictoria, ergo. *Prob. min.*, ideo priora se elidunt, quia certum est unum illorum dicere falsum, sed etiam certum est unum contradictoriorum esse falsum; & sicuti ibi de neutro ex illis hominibus determinatè certum est, quis dicat falsum, sed tantùm indeterminatè & vagè, & nihilominus auctoritas utriusque eliditur, ita hic, ubi motiva sunt pro contradictoriis, utrimque elidetur probabilitas. *R. Datâ maj.*, de qua à n. 261., *n. min. ad prob. n. maj.*, sed ideo se elidunt, quia sunt planè æqualia & similia, ac præterea certum est unū illorum scienter dicere falsum, & consequenter certus sum deesse uni auctoritatem gravem, & non mereri, ut credam, in eo enim consistit auctoritas hominis loquentis, quòd ex malitia non fallat, & ex ignorantia non præsumatur falli in æstimanda gravitate motivi, quod hic non manet, quia

quia cum uterque testetur de visu proprio, scio alterutrum ex malitia fallere, ergo scio in alterutro deesse auctoritatem, ergo cum nesciam ex qua parte desit, determinate neutri possum prudenter credere, videri potest *Teril.* in Reg. q. 29. n. 36. & q. 38. n. 36. Quid autem dicendum esset, si de visu non testarentur, intelligetur ex dicendis n. 398.

244 *Inst.* II. Saltem si Auctores viginti sint pro una
 903 opinione & totidem pro contradictoria, neutra pars reddetur nequidem extrinsecè probabilis, quia ubi nulla est præsumptio veritatis, ibi nulla est auctoritas, sed in Auctoribus sibi contradicentibus nulla est præsumptio veritatis in utrisque simul, sive in sensu composito, quia certum est alterutros errare, ergo, ita *Eliz.* q. II. §. 4. *Conf.* nam probabile ab extrinsecò fundatur in peritia Doctorum, qui opiniones docent, sed quando sunt contradictoriæ, certum est in alterutra parte esse imperitiam, errorem & ignorantiam, ergo tum non potest pro utraque parte esse auctoritas, ita *Eliz.* §. 1. *R.* 1. Si hæc argumenta valent, ergo in tali casu nequidem potest esse dubium de veritate, quia ubi nulla est præsumptio veritatis, nullum potest esse dubium, cum dubium sit circa veritatem, sed tum nulla erit præsumptio veritatis, quia certum erit alterutros errare & esse imperitos. *R.* 2. n. aff., ad prob. dist. min., in Auctoribus sibi contradicentibus nulla est præsumptio veritatis, id est, non est præsumendum, quod utraque pars copulative dicat verum, c, quod utraque pars distributive, sive quod utrique divisivè dicant verum, n, de singulis enim partibus præsumitur, quod nitantur gravi motivo. Ad *Conf.* dist., probabile ab extrinsecò fundatur in peritia, quæ prudenter præsumitur conformis objecto & communiter non fallit, c, quæ necessariò semper sit confor-

conformis objecto & nunquam fallat, n, hinc licet certum sit alterutram partem hic & nunc non habere peritiam conformem objecto sed falli, tamen de singulis prudenter præsumitur peritia, quia singuli communiter verum dicunt, & neutra pars temerè aut sine fundamento solet loqui, videri potest *Teril.* q. 29. à n. 61. & q. 44. n. 16., ubi rectè dicit nomine periti, scientis & prudentis hic venire illum, qui juxta humani intellectus capacitatem est instructus principiis ad materiam illam penetrandam sufficientibus, & debitam in veritate inveniènda diligentiam adhibuit. Vide dicta n. 99. in *Instantia.*

Obji. 2. Quod mihi certò est falsum, non est mihi verè probabile, sed una pars contradictionis est mihi certò falsa, ergo una non est mihi verè probabilis, ita *Eliz.* §. 4. *R. 1.* retorq., quod mihi certò est falsum, non est mihi verè dubium, sed una pars contradictionis est mihi certò falsa, ergo una non est mihi verè dubia, quod negat *Eliz.*, volens utramque partem reddi solum dubiam. *R. 2.* Si argumentum valet, ergo nequidem judicare potero utramque esse probabilem respectu diversi intellectus: quòd autem falsum reddi possit probabile, patet ex communi adagio ex *Aristotele*, quòd multa falsa sint, & non tantum appareant, probabiliora veris. *R. 3.* Quod mihi certò & determinatè est falsum, non est mihi probabile, c, si sit mihi certò falsum, sed indeterminatè & vagè, n. maj., & similiter dist. min. n. conseq., cum enim rescire non possim, quæ pars sit falsa, & pro singulis sit grave motivum, prudenter dico utramque esse probabilem, vide *Teril.* à n. 75.

Inst. I. Si per revelationem tibi constaret unam ex contradictoriis esse demonstratam, utraque non esset tibi verè probabilis, ergo neque nunc. *R. n. ant.*, dummo-

dummodo pro singulis maneret motivum grave, nec rescire possem, pro qua staret veritas, uti rectè Teril. n. 81.

248 *Inst. II.* Motivum pro una parte est falsum, ergo pro utraque parte non est motivum verè grave. *Prob. Conseq.*, aurum falsum non est verè aurum sed tantùm apparenter, ergo motivum grave falsum non est verè motivum grave, sed tantùm apparenter. *Conf.* quia si motivum appareret, quale in se est, appareret nullam habere connexionem cum objecto, ergo re ipsa non est verè grave sed tantùm apparenter. *R. n.* utramque conseq., verè aurum est quid Physicum, quod per apparentiam haberi non potest, è contrà motivum verè grave est motivum propter apparentiam veritatis multùm impellens ad assensum, quod potest motivum falsum, cùm apparere possit verum, & falsitas invincibiliter ignoretur, unde licèt ex parte objecti sit falsitas & sola apparentia, tamen propter hanc ipsam apparentiam est verissima motio magna ex parte motivi impellentis, quod sufficit ad motivum verè grave. *Ad*

249 *Conf. n. conseq.*, quia quamvis verè non sit verum motivum sed tantùm appareat esse verum, tamen verè multùm movet, ergo est verè motivum & verè grave: *Nec obstat*, quòd sit apparentia falsa, nam est quidem falsa respectu objecti, attamen est vera in ratione motivi, quia verè est apparentia veritatis, & quidem talis, quæ verè multùm trahat ac moveat intellectum, ergo est apparentia verè gravis, sicuti error est verè error licèt respectu objecti sit falsus.

250 *Inst. III.* Motivum illud est grave tantùm ex errore & ignorantia, ergo non est verè grave. *Conf.* nam licèt contra SS. Trinitatem sint gravissima argumenta, tamen non faciunt probabilitatem, quia
nempe

nempe sunt de objecto falso, ergo similiter hic. *R.* si sensus antecedentis sit, per errorem & ignorantiam judicatur esse grave, n, ex suppositione erroris & ignorantia invincibilis est grave, c. ant. & n. conseq., quamvis enim error & ignorantia sit causa, cur motivum illud multum moveat, tamen verissimum est, quod multum moveat, & consequenter quod sit grave. *Ad Conf.* n. conseq. non est autem ideo, quia motiva sunt de objecto falso, sed quia eliduntur per certitudinem motivi fidei, quæ docet dari Trinitatem: in nostro casu neutrum motivum elidit alterum & neutrum est certum.

Inst. IV. saltem motivum illud non est verè grave respectu objecti, sed tantum respectu intellectus, quem multum impellit, ergo simpliciter non est grave, sed tantum secundum quid & relatè ad hunc intellectum. *R.* n. ant., non enim potest esse grave respectu intellectus, nisi etiam sit grave respectu objecti, ideo enim intellectus multum impellitur, quia motivum multum apparet esse connexum cum objecto.

Inst. V. Ergo hæreticus etiam poterit habere motivum simpliciter grave respectu objecti sui falsi. *R.* hæreticus materialis, c, hæreticus formalis, subdist., poterit habere, imprudenter, transeat, prudenter, n. seq., hic enim habet ignorantiam vincibilem, quam si excluderet considerando omnia, uti posset & deberet, videret oppositum motivum certum, quo elideretur apparentia sui motivi & appareret imprudentia sui actus: adde, quod apparentia, quam habet hæreticus formalis, non tam sit ratione objecti quam ratione voluntatis malè dispositæ & imprudenter pertinacis, ideoque non possit constituere motivum verè probabile, quod requirit apparentiam rationabilem, & consequenter ratione objecti,

cum

cum dispositione rectæ voluntatis, videri potest *Teril.* n. 10.

254

Inst. VI. Onus, quod est grave propter malam subjecti dispositionem, v. g. propter ægritudinem, non potest dici simpliciter grave, sed motivum grave ex suppositione erroris & ignorantia, est grave propter malam subjecti dispositionem, ergo non est simpliciter grave. *R.* onus grave propter malam subjecti dispositionem, non potest dici simpliciter grave, si omnes ordinariè non sint obnoxii illi malæ dispositioni, uti ordinariè omnes ægri non sunt, c, si ordinariè omnes illi malæ dispositioni sint obnoxii, uti omnes sumus obnoxii errori, & ignorantia invincibili, n. maj., & similiter dist. min. n. cons.

255

Inst. VII. Si talis apparentia possit reddere motivum grave, ergo poterit ita crescere, ut reddat motivum certum. *R.* 1. n. seq., certitudo enim supponit veritatem, cum sit adhæsiō firma ad objectū verum. *R.* 2. poterit ita crescere, ut reddat objectum certum objectivè, n, certum adhæsiō, id est, ut intellectus de se & ex modo tendendi ita firmiter adhæreat objecto falso, sicuti adhæreret vero, c. seq.

256

Inst. VIII. Ratio, quæ est purum sophisma, non est verè sed tantum apparenter gravis, atqui ratio falsa est purum sophisma, quod ab *Aristotele* definitur, id, quod tantum apparet verum, ergo. *R.* ratio falsa est purum sophisma, si sciatur esse falsa, c, & hoc vult *Aristoteles*, si autem invincibiliter nesciatur esse falsa, n. min. & conseq. Nemo dicitur sophista, qui judicando invincibiliter errat, sed sophista est, qui sciens fallaciam argumentationis, eam utitur ad capiendum alterum, cum ipse sciat se non posse ei assentiri, uti rectè *Teril.* q. 25. à n. 34.

257

Inst. IX. Motivum verè probabile & prudens debet esse conforme rationi rectæ, sed motivum falsum

falsum non est conforme rationi rectæ, quia ratio non dicenda est nec existimanda, nisi vera, inquit, S. Aug. de quant. animæ c. 16., ergo motivum falsum non est verè probabile & prudens, ita Gonz. d. 8. n. 34. R. 1. Ergo motivum probabilius, si falsum sit, non erit verè probabile & prudens, quod nemo admittet. R. 2. Motivum verè probabile & prudens debet esse conforme rationi, semper Physicè rectæ, n., saltem Ethicè rectæ, c. maj., & similiter dist. min. n. conseq. S. Aug. tantum vult rationem Physicè rectam debere esse veram: vide dicta à n. 5.

Obj. 3. Si quis possit simul assentiri probabilitati duarum contradictoriarum, ergo & poterit simul inferre duo conscientiæ dictamina contradictoria, nempe quòd tale objectum sit & non sit licitum. R. poterit hæc inferre ex diversis præmissis, uti explicabitur à n. 313., ubi etiam ostendetur ejusmodi dictamina nullo modo sibi contradicere.

Obj. 4. Qui assentitur uni parti, non potest eodem tempore assentiri alteri, uti dictum n. 238., ergo nec tum potest opinionem de altera habere, ergo multò minùs poterit de altera habere opinionem probabilem. R. Ergo nec tum potest de altera opinionem habere tanquam actum informantem & tum simul receptum in suo intellectu, c, non potest habere tanquam objectum, de quo reflexè dicat, quòd sit opinio prudenter elicibilis, n. seq., & patet falsitas ex dictis n. 241.

Obj. 5. Verum & falsum improbabile pugnant, ergo etiam verum & falsum probabile, ita Eliz. R. n. ant., nam hæc duo, stellæ sunt pares, stellæ non sunt pares, sunt verum & falsum, & tamen utrumque est improbabile, quia pro neutro est grave motivum.

261

Q. 40. Quid sit unum motivum elidi ab altero opposito, & quando nam hoc fiat. R.

§. I. Tum dicitur unum motivum elidi, si propter alterum oppositum amittat vim permovendi intellectum ad prudentem assensum, v. g. si unus testetur Cajum priore anno esse mortuum, & tres alii fide dignos testentur se hoc anno vidisse vivum, testimonium primi eliditur.

262

§. II. Motivum aliàs probabile eliditur per motivum certum illi oppositum, hinc si sententia aliqua hætenus fuit probabilis, nunc autem contra eam inventæ sint rationes evidentes, vel ab Ecclesia declarata sit esse falsa, omnis probabilitas eliditur, quia motivum non ampliùs aptum est determinare intellectum ad prudentem assensum.

263

§. III. Motiva opposita incerta & dissimilia non elidunt se perfectè: *Probat*ur, imprimis ex S. Aug. Epist. II7. c. 3., ubi disputat, an quotidie sit communicandum; pro parte negativa adducit, quòd magis expediat se certis tantùm diebus tantò meliùs disponere; pro affirmativa, quòd quotidie peccemus, hinc quotidie indigeamus medicinâ: concludit, ut faciat quisque, quod piè credit faciendum: ergo agnoscit pro utraque parte manere sufficiens motivum ad honestè operandum, & consequenter unum non elidi ab altero. Idem docet Cap. in *Canonicis*, dist. 19. ubi loquens de receptione Scripturarum Canonicarum ait, *in eis, quæ non accipiuntur ab omnibus, (Ecclesiis) præponat eas, quæ plures gravioresque accipiunt, eis, quæ pauciores minorisque auctoritatis Ecclesia tenent: si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc inveniri vix possit, aequalis tamen auctoritatis esse habendas puto: ubi manifestè docet, quòd motiva auctoritatis, unum propter plures*

plures numero sed non ita graves, alterum propter graviores sed numero pauciores, se mutuò non elidant, sed maneant æqualiter fortia: Deinde idem evincunt omnia argumenta allata à n. 239. Præterea id probat experientia, nam qui tentatur in fide, experitur se trahi motivis, tum ad assensum tum ad dissensum, & licet agnoscat motivum fidei censerì debere majus, tamen etiam experitur se propter motivum oppositum posse motivo fidei dissentire, fierique positivè infidelem: & idem est de illo, qui potest vel bene vel malè judicare de proximo, experitur enim se utroque trahi, & posse utroque permoveri, si voluntatis imperium accedat, ergo evidens est, quòd ejusmodi motiva incerta & dissimilia se mutuò non elidant: *Ratio* à priori est, quia motiva dissimilia mutuò se excedunt secundùm quid, id est, unum habet aliam specie vim & rationem movendi, quam non habet, & cui directè non opponitur alterum, ideo enim dicuntur dissimilia, ergo non potest unum perfectè elidi per alterum, quia nempe in singulis manebit illa specie diversa & quasi disparata vis ad movendum intellectum; quod maximè valet, si nesciatur, quodnam sit absolute potentius, nam vis utriusque videbitur vim sui oppositi excedere, ergo manifestum est vim neutrius elidi. *Conf.* nam si motiva majora elidunt minora, ergo sententia, pro qua sunt motiva majora, erit certa quodammodo & altera improbabilis, quod est contra suppositum, nam loquimur de conflictu probabilioris cum probabili.

§. IV. Motiva tamen ejusmodi opposita se imperfectè elidunt, hoc est, hoc & illud minùs movet in præsentia sui contrarii, uti experientià constat, plus enim moverent singula, si solitariè cognoscerentur, licet utrumque adhuc sufficienter moveat in

ordine ad persuadendum intellectum : & in hoc concursu motivorum fundatur libertas opinandi quoad speciem, sive assentiendi & dissentiendi, prout accesserit impulsus ex parte voluntatis, uti iterum probat experientia, & dicitur à n. 398. & 414.

265 §. V. Motiva similia & æqualia se perfectè elidunt, id est, si vis movendi unius sit æqualis vi movendi alterius, & ob similem ac sibi mutuo directè oppositam rationem moveant, neutrum retinet vim simpliciter permovendi intellectum, quia quidquid affertur pro una parte, cognoscitur habere aliud æquale prorsus simile contrarium, ergo intellectus fiet immotus, sicuti si duo pondera planè similia sint in lancibus, aut si duo equi æquè fortes trahant in oppositas partes, reddunt libram vel currum immotum : hoc tamen non obstante poterit voluntas imperare assensum ad unam partem præ altera, sed quia ex parte intellectus neutrum motivum in hoc concursu erit sufficiens, assensus non erit rationabilis sed imprudens ac merè voluntarius.

266 §. VI. Motivum minus, si sit simile, id est, ejusdem rationis, & directè oppositum motivo majori, ab hoc eliditur, uti sequitur ex jam dictis, & exemplum datum est n. 261. ; notari tamen debent dicta à n. 243. & dicenda à n. 398.

267 *Objicies.* Hic actus est probabilis, *omnis mater diligit filium*, iste est improbabilis, *læsus diligit lædentem*, ergo si hæc motiva probabilitatis, quamvis dissimilia, se non elidant, hic actus, *mater læsa diligit filium lædentem*, erit probabilis & improbabilis. *R.* iste actus, *læsus diligit lædentem*, est improbabilis, per se loquendo & plerumque, c, in omnibus circumstantiis & semper, n, nam si sit de subjecto maximè disposito ad diligendum, uti est mater, ex hoc motivo, quia persona læsa est mater, poterit esse proba-

probabile, quòd nihilo-minus amet filium laden-
tem. Suppositis dictis fit,

Q. 41. *Quibus argumentis probetur licitum esse
sequi opinionem probabilem relictà probabiliore.* R. 268
seqq.

§. I. Auctoritate SS. Canonum & Pontificum :
nam Cap., *Ego solis*, dist. 9. expressè dicitur ex S.
Aug., rationes probabiles sufficere ad regulandum
iudicium prudens; Cap., *sicut quadam*, dist. 14. ex
S. Leone dicitur, *In his, quæ vel dubia fuerint vel
obscura, id uoverimus sequendum, quod nec praece-
ptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. PP.
inueniatur aduersum*; ex quo textu hanc sententi-
am probat S. Anton. apud *Ess.* in app a. 159., similiter
Inn. III. cap. *Inquisitioni* de sent. excom., de con-
iuge credente matrimonium esse invalidum, ait,
*Cum conscientia pulsat animum ex credulitate pro-
babili & discreta, quamvis non euidenti, reddere
potest sed petere non potest debitum*: Cur autem pe-
tere non possit, putat *Arr.* esse ob hanc ipsam pro-
hibitionem Ecclesiæ; *Sanch.* & alii putant etiam
posse petere, si bonâ fide contraxerit, potestque vi-
deri de matr. l. 3. d. 41. à n. 45 & totâ d. 44. Item
Ess. a. 179. Plures etiam Pontifices processisse se-
cundum opinionem sibi visam minùs probabilem,
ostendit *Carden.* in 1. crisi d. 15. c. 2. a. 7., sufficit,
quod testatur *D. Sot.* in 4. dist. 27. q. 1. a. 4., nem-
pe *Adrianum VI.* propter unius *Cajetani* auctori-
tatem & contra propriam opinionem dispensasse in
matrimonio rato.

§. II. Communi consensu DD., nam ex omni
ætate, statu, conditione afferri possent pro hac sen-
tentia Auctores typo editi plures quam 160. teste
Arfd. T. 2 p. 2. tr. 1. c. 1. princi. 17. & c. 2., *Teril.*
hîc q. 22. citat eorum 200. plerosque à se inspectos:

Gob. in *Clyp.* n. 5. addit alios 25. à *Teril.* non vi-
sib: plures alios addit *Moya de op. prob. q. 6. §. 2. &*
3., libet aliquos designare:

Cardinales vel Episcopi, qui hanc sententiam te-
nent, sunt, *Alb. M. S. Anton. Palud. Paneris.*
Alv. B. Med. Ledes. Zerol. Mald. Bonac. Barbos.
Caram. Tolet. Lugo: apud *Deschamps* in q. facti c. 3.

Thomistæ, inter quos Dominicani plurimi, *Ang.*
Viguer. Med. Lop. V. Et. Mercad. Nazar Bann.
Nugn. Martin. P. Ledes. Candid. Ildeph. Blanchis,
Hacquetus apud *Desch.* c. 5. & *ill.* t. 1. d. 1. a. 6. §. 6.
Accedunt *I. à S. Th. Tapia. Gravina, Navarrete*
&c. Hinc ait *Desch.* Thomistas recentiores tam ad-
mirabili consensu patrocinium suscepisse hujus sen-
tentia, ut ex iis, qui post *B. Medinam* de hac con-
troversia scripserunt, nullum viderit, qui vel in spe-
ciem tenuerit contrarium: hinc *Gallego* apud *Ess.*
a. 2. 6. ait, hæc secunda sententia communior est
inter Thomistas: *Salon.* anno 1592. editus dicit
multos ac gravissimos Theologos ita sentire, ac ma-
ximè ex discipulis *S. Thoma*, uti fatetur *Gonz.* in
introd. n. 3.

Ex Augustinianis, *Salon* jam relatus, *Arragon.*
Beja, B. Pontius apud *Desch.* c. 6.

Ex Carmelitis, *Corneio, Lezan. Urb. ab Ascens.*
apud *Desch.* *ibid.* Accedunt *Salmant.* in *I. 2. tr. II. d.*
7. dub. 2. §. 4. Gabriel à S. Vincentio de remed.
ignor. d. 12. dub. 27. n. 251.

Ex Benedictinis, *Sairus* apud *Desch.* *ibid.* Item
Reding. hic q. 9. a. 4 contr. 5.

Ex Carthusianis, *Rossell.*

Ex Cisterciensibus, *Lorca, P. à S. Joseph, Malletus*
apud *Desch.* *ibid.*

Ex Franciscanis, *Pelb. Villal. Port. J. Pontius,*
P. Marchant. Hanz. Coriol. Cassens. Gesvâld. Ragg.
apud

apud *Desch.* *ibid.* Accedunt *Bass.* in floribus V. *Con-*
scientia n. 9. *Bordonns* in propugn. op. prob. c. 6.
Bosco in Th. Sacram. T. 4. d. 2. f. 8. concl. 5. *Sporer*
 de Consc. à n. 41.

Ex Clericis Regularibus, *Leander à S. Sacram.*,
H. Garcias, Aversa, Diana, Pasq. Vidald. Lanfr.
Boss. Homob. Spinol. Morin. Meroll. Guazz. Ioseph.
de Ianuario apud *Desch.* *ibid.* Item *Delbene* de
 Immun. Eccl. c. 10. d. 4. n. 20. Accedunt maximo
 numero DD. sæculares præstantissimi, Ex Italia, *Pe-*
sant. Carbo, Zechus, apud *Desch.* c. 7. Ex Hispania
Nav. uterque, *J. Med Montes. J. Sanch. La Rua,*
Ochag. Trullen. Roccaf. Guttier. Solorz. Machad.
 apud *Desch.* *ibid.* Ex Gallia, *Gammach. Duval.*
Ifamb. Bail apud *Desch.* *ibid.* Accedit *Dumerz* apud
Daniel Epist. 3. Ex Belgio, *VViggers, Mercer,*
Mauden, Sylvius, Gauger. Hallus apud *Desch.* *ibid.*,
 qui horum, uti & præcedentium omnium à se cita-
 torum locos, verba & encomia accuratissimè refert.
 Ad Belgas accedit *Manigart* p. 2. c. 6. §. 5. Item Au-
 ctiores ferè omnes è Societate JESU, quorum præ-
 cipuos referunt *Desch.* c. 8. & *Esp.* a. 233. qui a. 232.
 ait, quòd ad Auctores attinet, certos & agentes hac
 de re in propriis terminis, singulis Theologis partis
 contrariæ respondet decas, ut minimum, Theologo-
 rum pro parte nostra, idque juxta supputationem
 ipsorum adversariorum: *Teril.* in Reg. q. 38. n. 33.
 dicit, pro hac sententia esse 40. ubi pro opposita unus:
 hinc etiam *Valent.* jam ab anno 1593. vocat com-
 munem, similiter *Suar.*, item *P. Nav.* anno 1597.
 vocat communiorem: *Gonz.* ipse n. 5. fatetur ab eo
 tempore usque ad annum 1656. traxisse omnes ferè
 Theologos in sui assensum, & jam dixerat n. 1. nul-
 lam fortasse opinionem esse, quæ plures cursu non
 longo temporis sectatores & defensores habuerit.

Denique *Opstradi* licet juratus hostis probabilitatum in diff. pag. 13. ait, *nihil per multos annos communius probabilitatum doctrina... communis ergo & universalis per Ecclesiam erat probabilitatis doctrina.*

270 *Respondet 1. Contens.* nihil ad rem facere multitudinem Auctorum, quia *argumentum pessimi turba est*, inquit, *Seneca* de Beata vita c. I. Addit *Eliz.* 1. 7. q. II. § 2. plures ex eis, qui libros edunt, verè Theologos non esse, & multos scientiæ morali prorsus impares esse, qui vel in Logicam scribere non auderent, se autem Theologiæ Moralis Doctores constituunt, quorum proinde numerus nihil ponat in esse. *Contrà* est 1. *S. Aug.* de quant. anim. c. 7. ait, *utilissimum maxima multitudini, excellentissima auctoritati cedere, & secundùm hoc agere vitam.* Putant etiam omnes sapientes satis consuli prudentiæ, si quis sequatur communem sensum, est enim incredibile tot viros præstantissimos errare: hinc etiam in utroque jure, uti refert *Teril.* q. 2. n. 181., dicitur, ubi diversæ sententiæ proferruntur, potius vincit numerus Doctorum, vel si numerus æqualis fit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir *Papinianus* eminet, qui ut singulos vincit, ita cedit duobus: unde *Ess.* a. 230. rectè dicit certum esse, quòd numerus & qualitas Auctorum maximi facienda sit, præcipuè in hac abstrusa & universalissima quæstione: neque id negare potuit *Gonz.*, nam diff. 5. n. 30. ait, qui contra communem censet quid illicitum, potest deponere opinionem hoc modo, *scientia mea & ingenium meum nequeunt comparari cum scientia & ingenio tot DD, credibilis est falli unum minus doctum, quàm tot sapientes, qui conveniunt in aliqua assertione: id potest ipse sibi applicare in hac quæstione.*

quæstione. 2. Nemo prudens contemnit Auctores
 omni exceptione majores, uti constat ex jam dictis,
 & ratio est, quia præsumi debent duci gravibus
 motivis, hinc etiam Adversarii conantur ad suas par-
 tes trahere Auctores, etiam nolentes. Quod dicit
Seneca, verum est de popularibus factiosis, qui re
 non examinata feruntur, quod rapit passio, impetus
 aut seditiosorum exemplum. 3. Auctores benignæ
 sententiæ sunt verè Theologi, Elizaldæ suppare,
 nec præsumi debet Deum in materia morum tam un-
 iversaliter & necessaria permisisse tamdiu errare tot
 viros sapientissimos & probissimos. Rectè *S. Aug.*
Epist. 119. Ecclesia Dei multa tolerat, & tamen
qua contra fidem sunt vel bonam vitam, nec appro-
bat, nec tacet, nec facit: videri potest Terillus q. 45.

Resp. 2. Eliz. 1. 6. q. 6. §. 7., per nullam mul-
 titudinem DD. privatorum posse fideles reddi secu-
 ros de suo non peccato, sed tantum per veritatem &
 conformitatem cum lege Dei. *Contra est I.* Nam si
 hoc valet, ergo nec securus es sequendo probabilio-
 rem vel probabilissimam, si fortè falsa sit. 2. Ubi
 veritas certò comperiri non potest, pro qua parte est
 multitudo DD, prudenter præsumitur pro ea esse
 veritas, consequenter pro qua parte est major mul-
 titudo DD, prudentius præsumitur pro ea esse veri-
 tas, ergo cum pro sententia benigna sint notoriè plu-
 res gravioresque DD, prudentius præsumimus hanc
 esse veram: hinc fit,

§. III. Non constat nobis certò de illa lege, quæ
 prohibeat sequi probabiles, & obliget ad sequendas
 semper probabiliores opiniones, ergo prudenter ju-
 dicamus talem legem non dari, in dubio enim, an
 sit lex an non sit, standum est pro libertate nostra,
 quia hæc est in possessione, hoc enim axioma, *melior*
est conditio possidentis, valet etiam extra materiam

justitiæ, uti dicitur à n. 495., Hinc rectè *Laëtant. l. 3. Instit. c. 27. Stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera an falsa sint, dubitantur, & ideo nemo parat, quia nemo ad incertum vult laborare, & ideo etiam cap. cum in jure, 31. de off. & pot. jud. deleg. dicitur, nisi de mandato certus exstiteris, exequi non cogeris, quod mandatur. Conf. 1. nam si lex illa daretur, esset lex naturæ & quidem generalissima, ergo non deberet latere plebrosque homines, qui bonâ fide judicant eam non dari, maximè cum multi ex adversariis dicant in jure naturæ non dari ignorantiam invincibilem, esset autem summè temerarium velle omnes eos, qui defendunt vel docent sententiam benignam, damnare erroris culpabilis & tantæ malitiæ, ergo. Conf. 2. nam non inventio legis post sincerum examen tot Doctorum per ita longum tempus, est manifestum signum, quòd talis lex non existat, uti ex principiis *Eliz* rectè ostendit *Teril. q. 53.* & dicemus à n. 718. Conf. 3. directè contra *Eliz*, nam secundùm ipsum, si motiva pro & contra legem sint æqualia, tum se utrimque elidunt, sæpe autem fit, ut quando operandum est, motiva pro & contra legem sint æquè probabilia, ergo erit, ac si tum nulla essent motiva pro lege prohibente operari secundùm minùs probabilem, ergo licebit secundùm hanc operari.*

273

Respondent, falsum esse, quòd sola præcisè incertitudo legis sufficiat ad negandam illius obligationem, uti fatetur ipse *Carden. in 1. crisi d. 60.* nam imprimis ex illa incertitudine oriri potest dubium præcticum, cum quo non est licitum operari: deinde quamvis lex sæpe sit incerta, tamen censerì debet esse in possessione, adeoque obligare; sic enim si quis sciat se commisisse furtum, & dubiter, an sit confessus, lex confitendi hoc furtum est incerta, attamen
quia

quia lex confitendi omne mortale est in possessione, etiam possidet lex confitendi hoc furtum, licet forte antehac sit confessus. *Contra* est 1. si oriatur dubium practicum, hoc deponi potest per rationem probabilem de non existentia legis, vel saltem per motiva reflexa, uti n. 307. dicitur 2. absolute contra legem incertam sufficit ratio probabilis, ex qua aliquis prudenter iudicet, se illi satisfecisse, uti probabitur à n. 599., hinc quamvis generalis lex confitendi omne mortale commissum, sit prior, & in certa possessione contra libertatem non confitendi, tamen si probabile sit te esse confessum hoc furtum, lex confitendi hoc furtum non est nec unquam fuit respectu tui in certa, sed tantum in incerta & dubia possessione, ideoque potius possidet tua libertas contra eam legem incertam, eò quòd non sit tibi sufficienter applicata, uti dicitur n. 274., quod *Conf.*, nam si sit probabile te esse confessum, est probabile te satisfecisse legi, ergo non est certum, quòd ei non satisfeceris, ergo lex iterum confitendi non est certa, ergo ad summum erit probabilis, sed & tua libertas est probabilis, quia probabile est te esse confessum, ubi autem directe probabile est esse legem, & directe probabile non esse legem, reflexè certum est, non dari obligationem legis defectu sufficientis promulgationis vel applicationis illius, uti jam dicitur, ergo. Vide dicenda à n. 495.

Camargo p. 1. l. 1. cont. 9. à n. 104. *Contra* rationem illam sic insurgit: Possessio libertatis est dominium, quod homo habet ad ponendas actiones suas, sed hoc dominium non potest prævalere contra Deum, quia Deus necessariò habet dominium altius respectu earundem actionum, cui non potest prævalere ullum dominium hominis, ergo in homine non potest esse possessio libertatis contra Deum.

R. 1. Idem argumentum valet in casu etiam maioris

joris

joris probabilitatis contra legem Dei; item in materia justitiæ, si ideo, quia possideo, me excusem à divina & naturali lege restituendi, quod probabiliter aut etiam probabilius est alienum. R. 2. hoc dominium & hæc possessio libertatis non potest dari contra Deum, si non possit prudenter judicari, quòd hæc actio permittatur à Deo, c, si hoc possit prudenter judicari, n, quia dominium à Deo concessum ad ponendas actiones est nobis certum, nec impeditur, quamdiu prudenter judicamus Deum actionem talem permittere & non restringere libertatem nostram.

Instat à n. 109. Illa permissio Dei, ut homo in tali circumstantia agat, est dubia, ergo non potest resultare in homine nisi jus dubium tum agendi, atqui agere cum dubio, an sit jus agendi, est peccatum, ergo. R. 1. Idem valere in casu majoris probabilitatis contra legem; item in materia justitiæ. R. 2. n, ant., nam positivè & prudentissimè judicatur dari, ob rationes datas & dandas, præcipuè n. 339., ergo non est jus dubium, sed saltem verissimè probabile.

274

§. IV. Quamvis fortè existeret lex prohibens sequi probabilia, tamen videtur evidens, non esse factis promulgatam, ergo nos non obligat. Conseq. patet, nam secundùm S. Th. 1. 2. q. 90. a. 4. *ad hoc, ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quòd applicetur hominibus, qui secundùm eam regulari debent, talis autem applicatio fit per hoc, quòd in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione, unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, ut lex habeat suam virtutem: hinc Gratianus in Cap., In istis, dist. 4. ait, leges instituuntur, cum promulgantur. Antecedens verò probatur, promulgatio sufficiens, est externa publicatio, per quam existentia legis fit subdito certa &*

manis

manifesta, in dubio enim, an detur lex necne, possidet contra eam libertas, atqui evidens est talem publicationem externam legis prohibentis sequi probabilia non dari, ergo. *Prob. min.*, quando prudenter dubitatur de existentia talis publicationis, imò quando hæc publicatio probabiliter negatur, tum evidens est non dari talem publicationem, atqui prudenter dubitatur, imò probabiliter negatur publicatio talis legis, ergo. *Prob. min.* prudenter dubitatur, an existat talis lex prohibens, & probabile est non existere, certum enim est ex dictis n. 269. plurimos negare, & certum est eam sententiam negantem esse probabilem, ergo existentia publicationis illius etiam non potest dici esse certa & manifesta. *Conf.* nam plures sunt, qui affirmant dari legem permittentem sequi probabilia, & reipsa probabilius est id licere, uti dicitur à n. 298., ergo hæc lex permittens est magis promulgata, quam opposita prohibens, maximè in sententia adversariorum, qui dicunt motiva probabilia elidi per probabiliora: nos itaque sic concludimus, si lex prohibens fuisset lata & sufficienter promulgata, utique veritas talis legis innotuisset post tantam inquisitionem, sed non innotuit illa veritas, ergo talis lex vel non est lata vel non est sufficienter promulgata: videri potest *Teril. q. 53.*

Respondent 1. Eliz. 1. 7 q. 4. §. ult. & Gonz. 275
d. 6. n. 37. argumentum illud ad summum habere locum in lege humana, nam legislator humanus potest legem concepisse & postea mutato consilio nolle promulgare, sicque tacite revocat: at implicat Deum legem concipere, quin habeat voluntatem efficacem eam promulgandi, alioqui frustra concepisset: hæc autem lex sequendi probabiliora est Divina, imò naturalis, ergo implicat eam non esse sufficienter

cienter promulgatam. *Contra* est 1. nam lex naturalis, cum sit à natura insita, multò magis innotesceret, si daretur, ergo cum non innotescat, vel non datur vel non est satis promulgata; & idem est de lege Divina positiva. 2. Quamvis implicet legem Dei non esse promulgatam aliquibus saltem aut aliquando, tamen non ideo debet esse promulgata omnibus & semper, nam operans secundum probabiliorem & minùs tutam sæpe operatur contra legem Dei, vel etiam naturæ, & tamen non peccat, quia lex hinc & nunc non est illi sufficienter applicata; idem est, si revelatio Dei non sit mihi sufficienter proposita, datur enim tum lex Divina & naturalis credendi Deo, attamen me hinc & nunc non obligat; similiter hinc, si enim daretur talis lex Dei vel naturæ prohibens sequi tantùm probabilia, satis esset promulgationem ejus aliquibus esse satis notam, aut saltem aliquando esse notificandam per Ecclesiam, nobis autem, qui habemus gravissima argumenta contra illius existentiam, non est notificata, & inde inferimus non dari hinc & nunc obligationem talis legis.

276 *Resp.* 2. *Camargo* contr. 6. à n. 38. Leges divinas & naturales non indigere promulgatione. *Contra* est, voca, ut voles; saltem indigent sufficiente notiã & applicatione quoad nos, divina quidem lex per prædicationem vel revelationem, naturalis autem partim remotè per ipsam naturam rationalem productam, in qua relucet; partim proximè per dictamina rationis, quæ indicant, quid naturam rationalem quæ talem deceat aut dedecet; non habemus autem vel revelationem vel talia dictamina de sequendis semper probabilioribus, ergo.

277 *Resp.* 3. Leges naturales & divinas esse æternas, adeoque priores liberrate creatâ, & consequenter
contra

contra hanc possidere, ergo in dubio an existant necne, standum erit pro illis contra libertatem, maxime cum sint favorabiles, utpote utiles, & favorabilia sint amplianda. *Contra* est, lex naturalis, prout est in Deo, non habet proximè rationem legis, nisi compleatur per legem naturalem, prout in creatura, hanc autem ita definit S. Th. in suppl. q. 65. a. 1. O. *Lex naturalis nihil aliud est, quàm conceptio homini naturaliter indita, quâ dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis*: Ex his evidens est legem naturalem non habere completam rationem legis, & consequenter non posse possidere, priusquam supponatur ex parte creaturæ sufficiens dictamen vel cognitio conformitatis aut difformitatis cum natura rationali quâ tali: similiter licet demus legem positivam, prout in Deo est, esse simpliciter ab æterno, attamen non possidet respectu singulorum, nisi apud singulos sit cognita, quod fateri debent Adversarii, nam si probabilius sit legem naturalem aut divinam non existere, lex illa non possidet, nec ita obligat, ut contraveniens peccet formaliter, ergo: si vis, sic distingue: lex æterna, si sit certa, est prior & possidet contra libertatem, c, si sit incerta, n, cum enim tota ejus essentia & omnia prædicata sint dubia, etiam dubia est ejus prioritas & possessio, ergo libertas de juri non potest de sua certa possessione. Quod additur de favore legum illarum, manifestè retorquetur, nam si lex naturalis vel divina in dubio positivo amplianda est tanquam favorabilis, ergo etiam obligat in casu opinionis probabilioris de non existentia talis legis: unde sicuti ipsi dicunt sufficere, quòd sit probabilius non dari, sic nos dicimus sufficere, quòd sit probabile, vel ostendant, ubi aut Deus aliter statuerit aut Ecclesia aliter declararit, quamvis enim Auctor naturæ potuerit arctare libertatem

tatem

tatem creatam ad obtemperandum legi in casu, in quo probabilius, aut etiam tantum probabiliter iudicatur existere, tamen non est fundamentum dicendi, quod ita arctaverit.

278 *Resp.* 4. Ut lex naturalis vel Divina obliget, non esse opus, ut saltem communitati promulgetur, alioquin qui per revelationem vel per scientiam privatam sciret dari legem de sequenda probabiliori, posset se excusare per aliorum ignorantiam, allegando defectum sufficientis apud omnes promulgationis, ergo satis est esse notam aliquibus, *Contrà* est, nam licet satis sit esse notam aliquibus, ut hi aliquibus est nota, obligentur, non tamen ut obligemur nos & omnes alii, qui saltem probabilissimè negant existentiam talis legis, nec agnoscere possunt esse factis promulgatam ulli homini.

279 *Resp.* 5. Si talis lex non foret nobis sufficienter promulgata, ergo agere contra illam nequidem esset transgressio materialis, ita *Eliz.* 1. 3. q. 8. & *Ar.* *For* Syn. n. 114. *Contrà* est, si reipsa non existat talis lex, uti non existere dicimus, agere contra, nequidem materialis est transgressio; si autem existat lex talis, cujus nobis desit sufficiens promulgatio vel applicatio, agere contra illam erit transgressio materialis legis, in primis prout existentis in mente Legislatoris, deinde etiam prout satis promulgatæ, aliquibus saltem, v. g. Adamo, B. Virgini, aut fortè etiam quibusdam ex Adversariis, hoc enim ipsi debent omnes dicere in casu ignorantie invincibilis cujuscumque legis.

280 *Resp.* 6. Quando probabilius est dari legem, etiam probabilius esse, quod detur sufficiens ejus promulgatio, adeoque legem tum esse sufficienter promulgatam. *Conf.* 1. quia hoc ipso, quod adsint rationes firmiores, quibus probatur legem esse & ob-

ligare

ligare, communis sensus & recta ratio dicit esse ob-
servandam, ergo. Ita *Gonz.* n. 32. *Conf.* 2. nam il-
le servus est reprehensibilis, qui nihil vult facere, nisi
quod certò scit esse à suo domino præceptum. *Con-
trà* est 1. Ut lex me proximè obliget, debet vel esse
mihi moraliter certum, quòd lex existat, vel non
esse probabile, quòd non existat, alioquin est certa
possessio libertatis contra legem; atqui licèt proba-
bilius sit legem ejusque promulgationem existere,
non ideo mihi moraliter certum est legem existere,
sed manet mihi probabile, quòd non existat, uti sup-
ponitur, ergo. 2. Falsum est, quòd probabilius
sit dari legem obligantem ad probabiliora, sententia
enim negans est saltem probabilior, uti dicitur à n.
298., ergo non datur sufficiens promulgatio legis
obligantis ad sequenda probabiliora: & sic patet ad
Conf. 1. *Ad 2. R.* laudabile esse facere illa, quæ sunt
etiam consilii & quæ putamus esse Deo gratiora vel
in se tutiora, sed negamus obligationem; unde sicuti
servus imprudenter sibi fingeret obligationem ad om-
nia, de quibus dubitat, an à domino sint præcepta,
attamen bene facit, si agat, quæ putat domino magis
placere, ita & nos. Vide dicenda n. 475. & 510.

Resp. 7 Si requiratur talis promulgatio, frustra
erit omnis Theologia moralis, nam certum erit, ubi
erunt utrimque probabilis motiva, certò deesse suf-
ficientem promulgationem legis adversantis liberta-
ti, ideoque certò licere partem benignam, ita *Gonz.*
d. 3. à n. 103. *Contrà* est, necesse est scire, an dentur
motiva probabilis necne, an hæc motiva sint vel non
sint certò probabilis, quod non facile rescitur, uti di-
ctum à n. 150., nec resciri potest nisi per Theolo-
giam moralem, inquirendo in veritatem & confe-
rendo utriusque motiva: quòd si reperero incertam
esse veritatem & certam esse probabilitatem opinio-
nis

nis directæ faventis libertati , tum prius potero reflexè judicare promulgationem legis adversantis libertati non esse certam , adeoque certò esse legem permittentem operari oppositum: videri potest *Terribil.* q. 18., qui q. 43. affert confutationes plures eorum, quæ hìc respondent Adversarii.

282

§. V. Qui operatur contra legem ex ignorantia invincibili legis, non peccat, uti certum est ex dicendis à n. 735., sed qui operatur secundum opinionem probabilem, si erret, operatur contra legem ex ignorantia invincibili legis, ergo non peccat. *min. prob.* , ipse re sufficienter examinata, bonâ fide iudicat non esse obligationem, & quamvis conetur, tamen non potest eam agnoscere, vel veritatem invenire, uti supponitur, ergo si erret, invincibiliter errat.

283

Respondet 1. Vendrachius, Deum rogandum esse, qui suggeret, quid à parte rei verum sit. *Contra* est, orarunt SS. *Hieron. & August.*, SS. *Th. Antonin. & Bonav.*, nec tamen semper attigerunt verum, cum sæpe teneant contradictoriè opposita, quorum unum certò est falsum, uti ostendemus n. 719. 722. 729. *Camargo* p. I. l. I. cont. 9. insinuat recurrendum esse ad iudicium Ecclesiæ, sicuti *Deuter.* 17. jubebantur Judæi in dubiis recurrere ad Sacerdotes. *Sed* responsum dat ipse sibi à n. 73., neque efficaciter oppugnat; quis enim dicat pro singulis dubiis scribendum esse ad Papam? hic certè nos remitteret ad scholas & Doctores, donec ipsi libeat de aliqua propositione sententiam ferre: & notum est nostram sententiam benignam sæpius esse denunciata S. Sedi, quæ tamen hætenus non declaravit esse falsam; si autem declaret, abjurabimus.

284

Resp. 2. Gonz. d. 6. n. 8. & d. II. c. 2., sic operantem posse proximè & quidem ex motivis probabili-

bilioribus judicare, quòd res illa sit objectivè mala, ergo non laborat ignorantia invincibili illius malitiae objectivæ, tum enim tantum est invincibilis secundum *S. Th. 2. 2. q. 76. a. 2. O*, quando studio superari non potest, potest autem hic studio superari, quia per motiva probabiliora, quæ invenit, potest ignorantiam illam deponere. *Contr. 2 est 1.*, Etiam ille, qui sequitur probabiliorem faventem libertati, posset proximè ex motivis probabilibus judicare, quòd res illa sit objectivè mala, uti dicitur à n. 414., Et quamvis id non posset judicare, tamen agnoscat esse certò probabile, quòd res sit objectivè mala, adeoque posset suspendere judicium, atque ita non errare, uti dicitur n. 387. Et præterea, si judicet rem esse objectivè bonam, sicque erret, errat invincibiliter, & non peccat formaliter, ergo: Ratio à priori est, quia licet hoc posset judicare, & sic non errare, tamen ad hoc non tenetur, quia habet motivum prudens aliter judicandi. 2. Quamvis judicaret secundum probabiliora, tamen non judicaret certò, neque elideretur probabilitas judicii oppositi, ergo pergeret invincibiliter ignorare, an objectum sit in se reipsa malum an nò, ergo si amplectatur objectum in se reipsa malum, id per accidens erit, & nascetur ex ignorantia invincibili, possuntque nostræ ignorantiae applicari omnia, quæ pro sua affert *Gonz. c. 3.*

§. VI. Ignorantia invincibilis excusat eum, qui 285
propter motiva probabiliora docet licere sequi opinionem probabilem relictâ probabiliore, uti fatentur *Gonz d. 12. c. 1. Auct. Syn. à n. 95. Estrix in Logistica pag. 234.*; & certum est, alioqui innumeros viros probissimos & Sapientissimos damnarem gravissimi peccati, probatque *Esp. in app. a. 225.*, quia proxima regula operationis honestæ est propria conscientia, quam quis format ex judicio prudente

prudente saltem propter rationes, quas bonâ fide
 iudicat firmiores: ergo etiam excusat eum, si secun-
 dùm illam suam doctrinam operetur, & consequen-
 ter etiam excusat quemcumque alium sic operan-
 tem. *Conseq. prob.*, quia talis, qui docet talem praxi-
 licere, putatque hoc esse verum, habet hanc doctri-
 nam tanquàm practicam, directivam, per se inten-
 tivam & causativam praxeos apud se & apud alios.
 ergo si doctrina excusetur, etiam excusabitur praxis
 quia doctrina, si falsa esset, foret longè magis noxia
 quàm hæc vel illa praxis in particulari, & è contrâ
 praxis non excusetur, multò minùs universalis do-
 ctрина approbans, intendens & causans illam praxi-
 Conf. nam qui sic docet & iudicat licitum esse ope-
 rari secundùm minùs probabilem, potest suadere al-
 teri, ut sic operetur, quia suadet ex prudente dictami-
 ne suæ conscientiæ, concepto ex motivis sibi proba-
 bilioribus; possumque id suadere alteri, quod iudicet
 illi esse licitum, ergo etiam potest sic operari, quod
 suadere est reipsa moraliter operari.

286 *Respondent. 1.* Docentem ideo excusari, quia do-
 cet hoc, quod iudicat esse probabilius & reipsa ve-
 rum, è contrâ operantem non excusari, quia ope-
 ratur hoc, quod iudicat esse minùs probabile & potest
 falsum. *Contrâ* est, ideo docens excusatur, quia si er-
 ret, errat invincibiliter, cum veritatem, uti in se esse
 rescire non possit, sed idem est de operante, qui no-
 scit de ulla lege obligante se ad sequenda probabili-
 ra, ergo.

287 *Resp. 2.* Possit aliquis invincibiliter iudicare &
 consequenter invincibiliter docere, v. g. desiderium
 internum fornicandi non esse peccatum, si nihil ope-
 raretur externè: Item se non peccare, si operaretur
 cum conscientia negativè dubia, & tamen per tale
 desiderium & per operationem cum conscientia
 dubia

dubia peccaret, ergo. *Contrà* est, nam illum desiderantem non peccaturū formaliter, dixi n. 35.; sed nec peccaret operans cum tali dubio, uti rectè *Sanch.* in Decal. l. I. c. 16. n. 18., & certum esse dicit *Cardenas* in 1. crisi d. 78. c. 4., quia reipsa non operaretur cum conscientia dubia, sed supposito illo errore directo, operaretur ex dictamine reflexo invincibiliter formato, quo diceret, licitum est mihi operari cum conscientia, quam huc & nunc invincibiliter iudico sufficere, atqui sic operor, ergo: vide dicta n. 63.

Resp. 2. Falsitatem ejusmodi dictaminum consistere in hoc, quòd affirmant non dari peccatum formale, ubi peccatum formale datur, & ideo ejusmodi dictamina non excusare: *Contrà* est, nam ad summum dicunt, ibi non dari peccatum formale, ubi peccatum formale daretur, nisi interveniret ignorantia invincibilis, quod verissimum est. 288

§. VII. Qui prudenter operatur, non peccat, 289
sed qui operatur secundum opinionem probabilem, ille prudenter operatur, ergo non peccat. *Min. prob.*
qui operatur secundum rationem firmam & gravem, ille prudenter operatur, quia agit conformiter rationi rectæ, sed qui operatur secundum opinionem probabilem, ille operatur secundum rationem firmam & gravem, ergo. *Conf.* nam opinio, secundum quam operatur, est certò probabilis, & quidem in ordine ad praxin, loquimur enim de opinione practice probabili, ergo praxis illius est rationabilis & prudens. 19a

Respondet Auctor Synop. n. 128., opinionem 290
probabilem tum esse conformem rectæ rationi, quando est vera, aut si sit falsa, quando est conformis rationi in existimatione hominis, qui iudicat illam esse veram & legi æternæ conformem, non autem in existimatione hominis, qui iudicat vel potest iudicare esse

re esse potius falsam ac difformem legi æternæ : hinc dicit etiam *Gonz.* d. 3. à n. 53. & d. 8. §. 4. moti-
vum talis opinionis esse grave & firmum respectu
illorum, qui illi assentiunt tanquam absolutè vero
vel saltem tanquam verisimiliori, non autem respec-
tu aliorum, quibus videtur potius falsum vel minus
verisimile, hi enim illud approbare non possunt in
sensu composito, quòd oppositum agnoscant esse
potius verum & verosimilius, adeoque respectu ho-
rum non est probabile. *Contra* est I., Opinio
adhuc est conformis rectæ rationi, hoc ipso quòd
sciam niti ratione firmâ & gravi, quâ aptus sit mo-
veri vir prudens ad assensum, licet mihi videatur,
quòd pro opposita sit ratio æqualis vel etiam fir-
mior, alioqui quisquis unam opinionem defende-
ret ut probabiliorem, deberet judicare opinionem
oppositam esse improbabilem & difformem rectæ
rationi, quòd est contra sensum omnium sapientum,
& oppositum satis constat ex dictis n. 263. 264. 265.
Possit quis, etiam in sensu composito, quòd agnoscat
oppositum esse probabilius, assentiri, uti ostendetur
à n. 414.; Et quamvis id non posset, etiam non est
opus, uti constabit ex dicendis à n. 387.

391

§. VIII. Deus permittit in rebus incertis illud fa-
cere, quod omnibus bene expensis judicamus esse li-
citur, sed omnibus bene expensis judicamus hoc
esse licitum, quod probabile est esse licitum, ergo
Deus permittit in rebus incertis hoc facere, quod
probabile est esse licitum. *Min prob.*, quia quam-
vis judicemus probabilius esse, quòd sit illicitum,
adhuc tamen manet in nobis hoc iudicium, quòd
probabiliter sit licitum, ideoque me hic & nunc
posse ponere. *Conf.* nam licet aliqui teneant tan-
quam probabilius, quòd B. Virgo sit maculatè con-
cepta, tamen licitè colunt Immaculatam Concep-
tionem

ptionem, uti certum est, cum Ecclesia non tantum
 id permittat, sed etiam præcipiat omnibus, ergo
 talis licet operatur secundum opinionem ipsi minus
 probabilem, ergo & aliàs idem poterit.

¶ IX. Obligatio sequendi opinionem probabi- 292
 liorem inde oriretur, uti volunt adversarii, quia o-
 perans ex probabili esset practicè dubius de honesta-
 te actionis, hoc autem est falsum, nam habet judi-
 cium probabile directum de honestate actionis, &
 licet hoc iudicium omittat, habet ultimum dicta-
 men certum de honestate illius actionis, uti explica-
 bitur à n. 303., ergo.

¶ X. Si sit obligatio sequendi probabiliorem, 293
 nascentur incommoda intolerabilia, nam 1. quisque
 tenebitur ante operationem inquirere, quænam opi-
 nio sit probabilior, rectè enim dicit *Suar.* de cens.
 d. 4. l. 8. n. 15., in debito faciendi, intrinsecè inclu-
 di debitam sciendi, & re ipsa aliàs non sincerè pro-
 cedet cum Deo, sed se exponet periculo violandi jus
 illius; quid autem semper sit probabilius, hoc mo-
 raliter est impossibile aut invenire aut discernere,
 etiam doctis, uti constat ex dictis à n. 50., hinc sa-
 pienter dicit *Suar.* in 1. 2. tr. 3. d. 12. l. 6. n. 8. fore
 onus intolerabile, obligare omnes homines ad con-
 ferendas singulas opiniones. 2. Non licebit Advo-
 cato defendere partem minus probabilem, sicque te-
 nebitur cum labore & sine mercede discutere utrius-
 que partis argumenta, antequam unam possit tue-
 ri: similiter non licebit mihi à Papa petere dispen-
 sationem, ubi mihi probabilius erit eum dispensa-
 re non posse &c., quæ tamen sunt contra sensum &
 praxin communem. 3. Si quis contractum inierit
 vel aliquid suaserit secundum opinionem, quam
 tum putabat probabiliorem, auditâ novâ ratione,
 quæ gravior videbitur, tenebitur rescindere aut

revocare, iterumque occurrente novâ ratione in oppositum, tenebitur redintegrare, ne alteri sit injurius vel malè suasor, & sic in infinitum 4. Scrupulosus, præsertim si sit vir doctus, non poterit sequi judicium Confessarii, imò quivis subditus, cui superior aliquid præcipiet secundùm sententiam sibi probabiliorẽ licitum, si subdito probabilius sit esse illicitum, non poterit obedire, quod admitti non debet, uti à n. 432. ostendetur. 5. Confessarius non poterit contra propriam opinionem, quam probabiliorẽ judicat, absolvere pœnitentem volentem permanere in sua opinione probabili opposita, quod à n. 443. etiam ostendemus esse falsum. 6. Sequetur nos plerumque obligandos ad tutiora, nam si opiniones sint æqualiter probabiles, aut si præponderantia pro una parte non sit magna & notabilis, adversarii docent vel abstinendum esse ab operatione vel sequenda esse tutiora, rarissimè autem agnoscetur talis præponderantia motivi ex una parte, quin intellectus ob motivum grave oppositum fluctuet & prudentissimè formidet de falsitate partis probabilioris; aut saltem difficillimè sciemus, an hæc vel illa præponderantia sit sufficiens; & etiam in hoc dubio erit obligatio sequendi tutiora, sicque passim incidemus in Tutiorismum, cum tamen, secundùm dicenda à n. 478. certum sit non esse obligationem sequendi tutiora, nisi in quibusdam materiis, de quibus dicam à n. 476. Denique etiam considerandum est, quod dicit Terillus in præfat. ad Reg. morum, nempe Jansenismum esse matrem sententia probabilioris, sic enim non poterant habere melius medium persuadendi aliqua Dei præcepta esse secundùm presentes vires observatu impossibilia: item hoc erat aptissimum medium Sacramenta, præsertim pœnitentia & Eucharistia, reddendi magis odiosa. Hæc ille.

§. XI. In quæstione particulari & dubia, an aliquid faciendum sit sub peccato necne, Item an aliquid faciendum sit sub mortali vel veniali, standum est pro parte benigna, dicendumque non esse peccatum, vel non esse mortale, nisi auctoritas certa aut ratio evidens evincat oppositum, uti ostendetur de poenit., quando de prudentia Confessarii, & hic insinuabitur n. 475., ergo hic multò magis tenendum est in hac universalissima quæstione, quæ est veluti regula pro infinitis aliis, uti optimè expendit *Ess.* a. 217. & seqq., ubi addit, quòd sententia rigida Adversariorum sit faulrix omnium austeritatum possibilem in opinabilibus, ideoque sit formaliter periculosior quàm benigna, uti eodem n. 475. dicitur.

Respondent I. Doctrinam hoc ipso esse suspectam, quòd benigna sit, cum scriptura & SS. PP. ubique dicant viam ad cælum esse arctam, per dura & aspera eò tendendum. *Nec obstat*, quòd Christus dicat jugum suum esse suave, nam suave non est ex rebus ipsis præceptis, sed tantum, partim ex gratiis & auxiliis divinis, partim ex affectu pio, præsertim dilectionis erga Deum. ita *Eliz.* l. 6. q. 5. sub finem, & q. 9. §. 6. *Contrà* est, nam Scriptura addit, 1. Jo 5. v. 3. *Mandata ejus gravia non sunt*, & licet carni & sanguini repugnent, sintque importabilia naturæ sibi relictæ, quod tantum volunt Scriptura & PP., tamen nunc per ordinarias etiam Dei gratias portabilia sunt & absolutè levia, maximè secundum illud *S. Aug.* serm. 47. de diversis c. 1. *Quidquid durum est in præceptis, ut sit leve, charitas facit*: si autem esset obligatio, quam asserit *Eliz.*, semper operandi vel secundum sententiam reipsa veram, vel secundum tutiorem, id foret onus intolerabile, uti rectè *Teril.* q. 9. n. 52. & magis declarabitur ad dub. seq.

296 *Resp. 2.* Non spectat ad homines tollere vel per opinationes suas reddere leviora Dei præcepta, aut leges æternas immutare. *Contrà* est, quamvis ad nos non spectet legem illam Dei certam & per se talem tollere, aut per opinationes nostras leviolem reddere, tamen quando dubium est, an lex Dei existat, ad nos spectat prudenter opinari circa illam, & tollere legem, quæ fortè nunc per accidens & ob errorem obligat, vel minorem ejus obligationem ex gravibus fundamentis declarare, juri rectè *Teril.* à n. 58. sic enim *Matt. 23. v. 4.* carpuntur Scribæ & Pharisæi, qui obligationes nimias legum imponebant populo: unde sicuti Deus *Deuter. 2. v. 4.* dixit nihil auferendum à verbo suo, ita dixit nihil addendum, addunt autem sine sufficiente fundamento Adversarii, inducentes legem istam durissimam semper sequendi probabiliora.

297 *Resp. 3.* Homines ob depravationem naturæ & inclinationem ad malum ut plurimum discordare à recta regula, non per excessum sed per defectum, ergo certum periculum est, ne deficiamus laxando, non autem restringendo libertatem: hinc *Arist. 2. Eth. c. 9.* ait, magis recedendum ab eo, ad quod naturâ sumus propensiores. *Contrà* est, nam cum hic sermo sit de ignorantia legum, quæ quamvis sit invincibilis, tamen est pœna peccati, præsumendum non est, quòd natura lapsa invincibiliter ignoret multas leges, ne ex sua culpa reportet commodum: ex adverso potiùs præsumendum est, quòd Deus permittat, ut ipsa invincibiliter sibi imponat plures leges, quàm re ipsa sint, ut ita suum ipsa onus aggraver: & sic legimus, quòd ab initio Ecclesiæ plus fuerit erratum per adjectionem quàm per subtractionem legum, nam multi volebant adhuc servandam legem Mosaicam, alii imponebant leges, quas nec ipsi nec Patres eorum

eorum potuissent ferre, uti habetur *Act. 15. v. 10.* & si attentè consideremus, inveniemus per consuetudinem multa transisse in leges, quæ nec à Deo nec ab Ecclesia præcepta erant, uti communiter docetur de multis abstinentiis & jejuniis: primi etiam hæretici per improbitatem suam communiter nimium restringebant libertatem, quamvis posteriores nimium laxarint: nos tenemus medium, & ne in immensum ultra debitum excrescant leges, de quibus non satis constat, dicimus contra has possidere libertatem: & hanc de benignitate sequenda esse mentem SS. ac Sapientissimorum virorum, ostendimus loco notato de pœnitentia.

§ XII. Secundùm adversarios, ille prudenter operatur, qui operatur secundùm opinionem probabiliorem, sed opinio benigna, dicens licitum esse operari secundùm probabilem, est reipsa probabilior, ergo qui secundùm illam operatur, prudenter operatur: hinc *Moya* de op. prob. q. 6. n. II. sic breviter subdit, *hanc ego amplector, quia probabiliorem iudico, quod proinde qui senserint, tutâ conscientia, juxta communem Theologorum sententiam, amplecti poterunt, & à peccati periculo immunes erunt.*

Respondent. 1. Ille prudenter operatur, qui operatur secundùm opinionem probabiliorem, probabilitate directâ immediatè respiciente honestatem objecti, c, probabilitate tantùm reflexâ immediatè respiciente honestatem formalem actûs, subdist., si illa opinio reflexa sit vera, c, si sit falsa, n. maj., jam verò opinio illa reflexa, quæ dicit licere sequi probabilem relictâ probabiliore, ad summum est probabilior probabilitate tantùm reflexâ, & reipsa est falsa, ergo secundùm eam illicitum est operari, etiam illi, qui per errorem invincibilem sentit & docet illam suam opinionem reflexam esse probabiliorem & veram, ita

ita *Auctor Syn.* n. 123. *Contrà* est 1. quando honestas objecti, prout in se est, dignosci non potest, uti contingit in casu opinionum tantum probabilium, necesse est & sufficit operari secundum dictamen immediate respiciens solam honestatem formalem actus, cum enim ad honestè operandum requiratur certitudo de honestate operationis. uti dictum est à n. 46., nec possit haberi certitudo de honestate objectiva, necessarium est & sufficit haberi certitudinem de honestate formali operationis, quæ haberi non potest per iudicium directum, quia oppositum semper manebit probabile, ergo per solum reflexum. 2. Opinionem nostram reflexam, quam Adversarii dicunt falsam, nos iudicamus omnino probabiliorē & veram, ergo prudenter facimus nos conformando huic nostro iudicio, imò ad hoc tenemur secundum principia Adversariorum: quòd si error invincibilis excuset ita sentientem & docentem, etiam excusat practicantem, uti dictum est à n. 285.

300 *Resp.* 2. Sententiam suam esse nostram probabiliorē, ita *Gonz.* d. 13. c. 2. *Contrà* est, nam ex dictis n. 269. constat benignam esse ab extrinseco & ex auctoritate probabiliorē, rationes verò pro hac etiam sunt firmiores, uti patebit consideranti allatas & pro contraria sententia afferendas à n. 319., ubi ostendimus eas vel evidenter retorqueri vel longè facilius solvi. Ex dictis,

301 §. XIII. *Infertur* 1. licitum esse operari secundum probabilem, licet evidens sit oppositam esse probabiliorē, uti habet communis cum *Illf.* d. 1. contra *Gonz.* d. 3. c. 1. *Ess.* a. 153. & seqq. *Terill.* q. 1. n. 7., manent enim rationes positæ. 2. Licitum esse cuivis, consulere plures homines, qui habentur communiter probi & docti, inquirendo, an fortè inventurus sit aliquem se probabiliter excusantem,

tem, v. g. ab obligatione restitutionis, si enim huic proposuerit rationes oppositas aliorum, & hic eas maturè considerarit, ac censeat non esse convincentes, nec elidere certam probabilitatem suæ sententiæ, consulens tutò sequatur hunc, uti docent *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 9 n. 24. *Zumel. Castrop. Tapia. Bress. Pasq. Verric. Candid.* & alii cum *Moya* q. 4. n. 17. & cum *Carden.* d. 57. n. 88.; Ratio est, quia talis consulens utitur jure suo, & cum post inquisitam veritatem non reperiat certitudinem contra se sed motiva gravia pro se, prudenter sibi format dictamen, quod secundum hæc licitè operetur.

Q. 42. *An licitum sit sequi minus probabilem, 302*
non tantum in materia juris positivi humani, sed etiam juris Divini & naturalis. R.

Aliqui admittunt licitum esse sequi minus probabilem in materia juris positivi humani, quia putant Legislatores humanos tum nolle, ut obliget sua lex, quando pro non existentia illius est opinio probabilis; sed dicendum est licere etiam in materia juris Divini & naturalis, nam nec Deus nec natura nos in simili casu ignorantia invincibilis obligare censeantur, & rationes, quas à n. 268. attulimus, æqualiter valent de omni materia: denique pleraque argumenta, quæ isti uctores contra materiam juris Divini aut naturalis afferent, facile retorquebuntur contra materiam juris humani, uti patebit ex dicendis à n. 319., v. g. si quis in materia juris humani possit ex fide operari & rectè sibi formare conscientiam secundum minus probabilem ex vi judicii reflexi contra judicium suum directum probabilius, idem poterit in materia juris Divini & naturalis: Item, si non sit contra reverentiam Legislatoris humani, quamvis hic & nunc dicam, licet ex vi judicii directi

directi probabilius mihi sit legem tuam existere, tamen nolo facere, quod illa iubet, etiam non erit contra reverentiam Auctoris legum divinarum vel naturalium &c.

303 Q. 43. *Quomodo formandum sit ultimum dictamen conscientiae secundum sententias minus probabiles. R.*

§. I. Ante omnia opus est, ut qui cogitat operari secundum aliquam sententiam faventem libertati, certus sit eam esse verè probabilem, uti constabit ex dicendis à n. 366. & 368.; hoc supposito, adhuc non est satis, ut in mente verset talem sententiam, v. g. ut quis licitè pingat die festo, non est satis, quòd sciat aliquos docere, quòd hoc liceat, nam si interim se non resolvat practicè, sed maneat dubius & velut indifferens inter hæc, quòd liceat & non liceat, sicque pingat, non habet conscientiam ullam, cum non formet sibi iudicium certum de honestate suæ actionis, sed solum habet notitiam opinionum veluti speculativam, ideoque peccat pingendo, ita omnes cum *Ess.* in app. a. 187. & seqq. *Sporer* n. 33.

304 §. II. Dictamen ultimum conscientiae in ordine ad honestè operandum non potest esse opinio probabilis, imò nec sufficit probabilior, sed debet esse certum, cui si conformetur operatio, evadat certò honesta, uti constat ex dictis à n. 46.

305 §. III. Dictamen illud ultimum non potest deduci ex opinione probabili veluti ex una præmissa, sed deduci debet ex duabus præmissis certis, quia conclusio deducta ex una tantum probabili est etiam tantum probabilis, cum debeat sequi debiliorem partem, hinc si sic deducatur, *actio non servilis est licita die festo, sed pingere est actio non servilis, ergo pingere est licitum die festo*, non potest esse ultimum dictamen conscientiae, quia cum conclusio illa
nitatur

nitatur minore, quæ incerta est, etiam ipsa est incerta.

§. IV. Una præmissarum, ex quibus deducitur ultimum dictamen conscientiae, debet habere pro objecto opinionem probabilem, secundum quam aliquis vult operari, non tamen debet affirmare veritatem illius opinionis probabilis, sic enim & ipsa esset tantum probabilis, sed tantum debet affirmare illius existentiam saltem objectivam, id est, debet dicere, non quod illa sit vera, sed quod sit probabilis, & existat aut saltem existere possit in intellectu alicujus viri prudentis & periti; v. g. præmissa, ex qua deducitur dictamen ultimum, quo dirigitur homo pingens die festo, non debet dicere hanc propositionem, *pingere die festo non est servile*, esse veram, sed tantum dicere debet illam esse probabilem, ita ut merito illi assentiri possit vir prudens & peritus, quod omnino certum est.

§. V. Quia hoc ultimum dictamen ita se reflectit supra opinionem probabilem, ideo dicitur reflexum, & hoc modo formatur: quod prudenter judico mihi hic & nunc licere, certum est mihi hic & nunc licere, sed prudenter judico mihi hic & nunc die festo licere pingere, ergo certum est mihi hic & nunc die festo licere pingere: *Major* est certa, quia actus prudentiae, non potest esse regula actionis illicitae: *Minor* etiam est certa, nam quod judico ex gravi motivo, hoc prudenter judico, ideo enim dicitur grave, quia dignum est prudente assensu, sed hoc judico ex gravi motivo, cum sit probabile, ergo. *Conf.* quia hoc prudenter judico, quod judicant viri gravissimi & periti, qui utique semper habent grave motivum, sed viri gravissimi & periti judicant mihi hic & nunc die festo licere pingere, ergo. Simili modo potest procedi in aliis materiis. In idem recidit, si ita formetur, licita est mihi omnis actio, quam post

post idoneum exāmen prudenter judico non esse prohibitam, atqui ego post idoneum examen prudenter judico hanc vel illam actionem mihi non esse prohibitam, quia pro hoc judicio habeo grave motivum, ergo. Item sic formari potest, quod viri prudentes dicunt esse licitum, quodque rationes gravis momenti suadent esse licitum, hoc prudenter judico esse licitum, sed viri prudentes dicunt hoc vel illud esse licitum, idque etiam suadent rationes gravis momenti, ergo. Denique potest etiam sic formari, quod probabilius est mihi licere quā non licere, hoc prudenter judico mihi licere, sed probabilius est mihi licere operari secundum illam probabilem sententiam, quā non licere, ergo prudenter judico hoc mihi licere. *Major* est, etiam apud Adversarios, indubitata: *Minor* etiam constat ex dictis à n. 298.

308 §. VI. Quando aliquis operatur secundum opinionem probabilem, non est opus, ut ad longum & dialecticè sibi formet hos discursus, sed hoc ipso, quòd sciat se operari juxta opinionem probabilem, habebit virtualiter, & sufficienter sibi formabit hoc dictamen, practicè judicando sibi hìc & nunc licere talem operationem: ideo autem opus fuit ita ad longum exponere, ut clarè videant omnes, quòd operans secundum probabilem, operetur ex dictamine conscientie certo.

309 §. VII. *Obij. 1.* Ultimum illud dictamen fundatur in opinione tantum probabili, sed actus certus non potest fundari in incerto, ergo. *R.* Actus certus non potest fundari in incerto tanquam præmissa, vel affirmato tanquam vero, c, in incerto tanquam prævio tantum, & affirmato existere, n, nec repugnat actum perfectiorem fundari in imperfectiore, nam in apprehensione fundatur judicium, quod tamen perfectius est. *In st.*

Inst. Quod est verum tantum ex suppositione falsa, hoc absolute est falsum, sed dictamen ultimum fundatum in opinione probabili re ipsa falsa, est tantum verum ex suppositione falsa, ergo. *R. n. min.*, nam dictamen ultimum non supponit opinionem directam esse veram, sed tantum supponit existere aut posse prudenter existere, quæ suppositio est certissima. 310

Obi. 2. Quod probabile est esse illicitum, hoc non potest dici esse certo licitum, sed quomodocumque formetur iudicium practicum, v. g. circa hoc, quod liceat pingere die festo, tamen manet probabile, quod pingere die festo sit illicitum, cum probabile maneat, quod pingere sit servile, ergo quomodocumque formetur iudicium practicum, nunquam certum erit, quod pingere die festo sit licitum. *R. I.* Idem argumentum valet, etiamsi opinio asserens licitum esse sit probabilior, hinc *R. 2.* Quod ex vi iudicii directi est probabile esse illicitum, hoc non potest dici esse certo licitum ex vi similis iudicii directi, c, ex vi iudicii reflexi, n. maj., & similiter dist. min. n. conseq. 311

Inst. 1. Iudicium reflexum non potest asserre iudicio directo ullam certitudinem, ergo intellectus perget formidare uti antè. *R.* Ergo intellectus perget, aut potius pergeret formidare præcisè ex vi iudicii directi, id est, posset formidare, si illud solum adesset, c, habito simul iudicio reflexo, n. conseq., quia licet motiva iudicii directi sint & maneant fallibilia, tamen motiva iudicii reflexi sunt certa, iudicium enim reflexum sic dicit, quamvis sit & maneat tantum probabile, quod pingere die festo sit illicitum, tamen quia etiam probabile est esse licitum, lex prohibens pingere non est certa nec nobis satis promulgata, hinc eam invincibiliter ignoro, & ideo contra eam certo possidet libertas 312

mea, maximè cum probabilius sit licere sequi opinionem probabilem relictâ probabiliore, ergo hic & nunc prudenter judico mihi licere pingere: ubi vides, 1. quòd propter novas circumstantias & nova motiva iudicium reflexum sit certius quàm directum: 2. quòd motiva reflexa dent certitudinem, non opinioni directæ, hæc enim manet tantum probabilis, sed soli iudicio reflexo ac usui illius opinionis probabilis; sicuti si Medicus dicat, *iste ægrotus non tenetur audire Sacrum die festo*, propositio illa directa est tantum probabilis, ista tamen reflexa, quâ ægrotus dirigitur, *qui sequitur prudens consilium Medici, non peccat*, est certa: item, propositio illa *S. Thomæ, non est obligatio confitendi statim post commissum peccatum*, est tantum probabilis, & tamen istæ reflexæ, *quod omnibus rite expensis docet S. Th. velut practicè probabile, est certè licitum, sed non esse obligationem statim confitendi post commissum peccatum, docet S. Th. omnibus rite expensis velut practicè probabile, ergo non statim confiteri est certè licitum*, sunt certæ. Vide dicenda n. 348.

313 *Inst. 2.* Si ex hoc, quòd probabile sit esse licitum pingere die festo, inferri possit dictamen certum, quòd hoc sit licitum, ergo similiter ex eo, quòd probabile sit esse illicitum pingere die festo, etiam inferri poterit dictamen certum, quòd hoc sit illicitum, sed hoc est falsum, quia hæc duo dictamina sibi directè opponuntur, ergo. *Conf.* nam nos sic argumentamur, probabiliter putans aliquid licere, certè potest illud facere, sed ego probabiliter puto licere pingere die festo, ergo certè possum pingere die festo: à contrario etiam sic argumentor, probabiliter putans aliquid non licere, certè non potest facere, sed tu probabiliter putas non licere pingere die festo, ergo tu certè non potes pingere die festo. *Re-*

Respondet 1. Carden. in 1. crisi d. 15. n. 252. 314

eum, qui iudicat duas contradictorias esse probabiles, posse inferre talia diversa dictamina practica omnino certa ex diversis præmissis, prout volet, neque illa sibi contradicere quia non sunt secundum idem, respiciunt enim diversas præmissas, & unum dicit, certum est mihi non licere, si me fundem in his præmissis; alterum dicit, certum est mihi licere, si me fundem in istis aliis præmissis: si autem loquamur absolute. *R. 2. n. seq. maj.*, nam *Tò illicitum* 315 fundat negationem, quæ negat omnia, & significat non esse licitum, adeoque dicit nullum esse motivum grave pro eo, quòd sit licitum, quod falsum est; è contrà *Tò licitum*, est quid positivum, ad quòd sufficit esse pro hoc grave motivum, quamvis etiam pro opposito sit simile aut etiam majus: unde ad *Conf.* 316 *n. tuam maj. à contrario*, sic enim à pari argumentor, probabiliter putans rem esse suam potest retinere, sed possidens putat probabiliter rem esse suam, ergo possidens potest retinere: & tamen non valet à contrario, probabiliter putans rem non esse suam non potest retinere, sed possidens probabiliter putat rem non esse suam, ergo non potest retinere: si vis, distinguo; probabiliter putans non licere certò non potest facere, ex vi hujus iudicii, quo iudicat non licere, & si aliunde non habeat motivum iudicandi, quòd liceat, c, ex vi alterius iudicii aut: motivi, quo iudicet aut iudicare possit licere, n. maj., & similiter dist. min. n. conseq.

Inst. 3. Si ille bene agit, qui agit probabiliter 317 honestum, ergo ille malè agit, qui agit probabiliter inhonestum, valet enim regula contradictoriarum, *ab opposito consequentis valet ad oppositum antecedentis.* *R. 1.* Ergo similiter malè agit, qui sequitur probabiliorem, quia agit probabiliter inhonestum.

R. 2. n. conseq., regula illa non tenet, nisi à contradictoriè opposito consequentis arguatur ad contradictoriè oppositum antecedentis; item non valet, nisi quando unus terminus est antecedens respectu alterius: jam verò patet, quòd probabiliter honestum non fit contradictoriè oppositum probabiliter inhonesto, cum utrumque sit quid positivum; item patet, quòd neuter ex his terminis fit antecedens respectu alterius, neuter enim inferri potest ex altero ergo evidens est illam regulam hìc non habere locum; mirorque à quodam Viro docto id mihi obiectum esse, à pari enim dicam, honestè agit, qui sequitur consilia Christi, qui non ducit uxorem, & ergo ille inhonestè agit, qui non sequitur consilia Christi, qui ducit uxorem. E contrà valet, si est homo, est animal, ergo si non est animal, non est homo quia nempe homo est antecedens respectu animalis & non animal est contradictoriè oppositum animali ideoque valet à negato animali ad contradictoriè oppositum homini, quod est non homo.

318 Q. 44. *Quænam præterea sint argumenta rigide sententiæ, & quomodo solvantur.* R. Sunt multæ licet parum efficacia: nullum tamen præteribo, ne videar declinare aliquam difficultatem.

319 *Obijciunt* 1. Auctoritas videtur esse major præter sententiæ rigidæ, nam nulli SS. PP. faciunt mentionem de licito usu probabilitatis, è contrà favent rigidæ, uti latè deducit Gonz. d. 13. c. 2. §. 1. & 2.

S. Aug. contra Academ: l. 3. c. 6. latè confutat hoc illorum axioma, cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat nec errat. Possunt plura ex S. Aug. videri apud Gonz. §. 3., maximè autem apud Eliz. l. 7. q. 1.

S. Tb. quodl. 8. q. 6. a. 13. ait peccare operantem, si dubitetur, an sit vera sententiæ, secundum quam operatur.

ratur: *S. Bonav.* apud *Gonz.* §. 4. similia habet.

Pro rigida sententia sunt Cardinales, *Cajet. Lau-
rea, Bellarm. Aguiet, Palav.* qui duo postremi sen-
tentiam benignam, re melius discussâ, deseruerunt :
pro eadem nunc sunt Cardinales aliique in Congre-
gationibus Romanis : Similiter Episcopi Galliæ in
variis Synodis proscripserunt usum illimitatum sen-
tentiæ minùs probabilis, uti testatur *Mervisus.*

Tenendam esse rigidam decreverunt in Capitulis
generalibus Ordines Theatinorum & Dominicanorum:
eandem tenent plerique ex Ordine Augusti-
niano.

Sententia benigna inaudita est usque ad finem sæ-
culi decimiquinti, in quo *L. Lopez*, probabilista in
Instr. consc. c. 120. ait, scio communem esse sententi-
am *Sot. Cordub. &c.*, tenentium non satùs esse pro-
babilem opinionem sequi, sed probabiliorem esse se-
ctandam: *Corduba* autem, qui scripsit anno 1569, di-
cit l. 2. quæstion. q. 2. omnes Theologos convenire,
quòd debeamus sequi tutiorem probabiliorem.

Vasq. Salas, Sanch. pro primo Auctore, qui be-
nignam docuerit, citant *B. Medinam*, qui scripsit an-
no 1579.

Amicus licet probabilista T. 3. d. 15. n. 75. fatetur
omnes ferè antiquos esse pro probabiliore.

Illicitum esse illum usum probabilium docent
*Mercor. Fagn. Sinnich. Baron. Merenda, VVendroch.
Contens. Gonet. Jac. à S. Dominico* : è Societate
JESU, jam ab anno 1609. *Comit. Philal. Rebell. Eliz.
Gonz. Munies. Taber. Daniels, Gomes, Erentbreich,
Gisbert*, aliique : Ex aliis DD. *Volprier* in Th. mor.
T. 1. tr. 2. c. 3. a. 1. *Du Hamel* de act. hum. l. 2. d. 4.
item alii Viri gravissimi etiamnum viventes. *Est. p.
2. App.*, quam post alia opera Theologica scripsit, a.
1553. concludit, non esse licitum usum sententiæ certò

ac evidenter minùs probabilis, videturque consensere *Teril.* in Reg. morum q. 1. n. 7. *Camargo* absolute tenet rigidam.

320 R. SS PP. etiam non faciunt mentionem sequendæ probabilioris, sed de utroque silent, quia illis temporibus non erat mota illa controversia, sed omnino pro certo habebant licitum esse sequi quæcumque prudentia dictamina rationis, non autem semper prudentiora, uti ostendit *Carden.* in 1. crisi d. 15. c. 6.; sæpe per modum consilii dicunt præferenda tutiora, quæ tamen non semper sunt probabiliora, quòd si quandoque innuant præceptum de tutioribus aut probabilioribus, intelligunt tum, quando operans censet oppositum esse dubiæ vel tenuis probabilitatis.

321 S. *Aug.* l. c. agit contra eos, qui, uti ipsemet refert l. 1. *Retract.* c. 1. assererent turpe esse viro sapienti errare, ideoque, cum omnia essent incerta, dicebant frustra in veritatem inquire, nec deberet quicquam directè judicari tanquam verum vel falsum, sed in omnibus debere intellectum hærere suspensum; ad summum posse aliqua apprehendi in verisimilia, & hoc vocabant probabile, secundum quod possent conformari omnes actiones nostræ, uti pluribus refert *Eliz.* §. 5. Benigna sententia tenet omnia opposita, nam dicit sapienti turpe non esse errare in probabilibus, dummodo ex gravi motivo procedat, inquirendum esse in veritatem, posse prudenter fieri assensum directum ad hanc vel illam partem, ad operandum non sufficere talem reflexam apprehensionem probabilitatis, sed requiri iudicium certum de honestate actionis &c. Videri potest *Ep.* a. 72. & seqq., & maximè *Terill.* q. 25., ubi manifestè ostendit sententiam benignam longissimè abesse ab Academismo.

S. Th. l. c. est potius pro benigna sententia, nam 322
 quærit, an sequens minus tutam peccet, & respondet,
vel dubitatur, an sit vera sententia, & iterum pec-
cat, quia nempe cum dubio operatur non formatâ
 sibi conscientiam, *vel sine dubio operatur ex propria*
opinione, & non peccat, ubi manifestè docet non
 peccari, si operetur formando sibi conscientiam se-
 cundùm opinionem suam, quamvis fortè minus tu-
 tam & similiter minus probabilem, est enim par ra-
 tio, cùm etiam secundùm hanc possit sibi formare
 conscientiam, uti à n. 303. ostensum est: Plura circa
S. Th. videri possunt apud *Teril.* de consc. q. 29. & de
 hoc ipso loco *S. Thome*, videri potest *Ills.* s. 1. d. 1. n. 74.

S. Bonav. semper suadet tutiora, eos verò arguit,
 qui procedunt, vel sinè examine veritatis, vel sinè di-
 ctamine pratico certo, uti constabit perpendenti
 loca à *Gonz.* adducta.

Cajet. in summa, v. *opinionis usus*, est pro sen- 323
 tentia benigna: Item *Tolet.* in summa l. 3. c.
 2. *Bellarm.* in opusc. ad *Episc. Theanensem*
 tantùm dicit, si quis velit in tuto salutem collocare,
 debet omnino tutiorem partem sequi &c., hoc au-
 tem æquè pugnat contra probabiliorem, quæ sæpe
 est minus tuta: re ipsa tantùm vult non esse proce-
 dendum cum conscientia vincibiliter erronea vel ex
 probabilitate tantùm tenui, sed tum esse sequenda
 tutiora, quia formari non potest conscientia pra-
 ctica. Quoad *Palav.* satis est, quòd benignam certò
 tenuerit, quam an retractarit, non constat, nam
 quòd in litteris ad *Eliz* dicat ignorantiam non red-
 dere opus honestum, hoc æquè est contra sententiam
 probabiliorem. Reliquis, si re ipsa sunt pro rigida,
 opponimus alios numero plures, uti constat ex dictis
 n. 269., eosque non minus prudentes vel doctos.
Episcopi aliqui *Gallix* quandoque faverunt *Janse-*
nistis:

nistis: rectè tamen proscripserunt illimitatum usum sententiæ probabilis, nam nec illum admittit sententia benigna, uti constabit ex qq. seqq.

324 Ordinum istorum decreta plùs non evincunt, quàm quòd eo tempore prævaluerint suffragia pro rigida sententia, per quod nunc minor accedit Auctoritas, si Ordinum illorum Professores eandem teneant, nam tenent ex obligatione; nec eam, quam alii, habent libertatem sentiendi: è contrà benignam tenent ex aliis Ordinibus numero longè plures, nec sapientià inferiores, & cum libertate dicendi, quod sentiunt.

325 Etiam usque ad ea tempora inaudita est defensio sententiæ rigidæ. *Teril.* de consec. q. 22. à n. 41. adducit plures, qui benignam docuerunt ante ducentos, trecentos & quadringentos annos: & à n. 183. ostendit jam ab initio Ecclesiæ fuisse in praxi: quòd eandem tenuerint antiqui, testatur S. *Antonin.* p. I. tit. 3. c. 10. ubi ait, *Ex responsis, quæ videntur data ab Alberto M., habetur, quòd frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis, quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris Magni opinionem sequatur:* citatque pro eadem sententia *Hostiens.* *August.* *Raym.* *Petrum de Palude,* *Goffridum de Fontibus,* utique antiquos. Similiter *Sotus* de just. l. 6. q. 1. a 6. ait, *quando sunt opiniones probabiles inter graves DD, utram sequaris, in tuto habes conscientiam.* Si *Corduba* rectè inspiciatur, stat pro tutiore etiam contra probabilior, unde nimium dicit, uti ostendetur à n. 478. *Teril.* tamen in Reg: q. 67. n. 28. putat eum velle, quòd tota apparentia rationum tam ex principiis reflexis quàm directis debeat esse probabilior, quòd etiam dicit sententia benigna.

326 *Vasq.* fatetur benignam diu antè in scholis communem

munem fuisse, nam citati eam tenuerunt, Item *Salouius & Petr. Nav.*, dicentes esse communem, uti notat *Desch.* in q. facti c. 7. Eandem ante ducentos & plures annos expressè tenuit *Nider*, pro ea citans *S. Th. Alsiodor. Humb.* & alios, uti refert *Desch.* c. 8. *Teril.* autem q. 12. ostendit, quòd & fatetur *Eliz.*, jam ab initio Ecclesiæ fuisse apud sapientes & probos viros praxin etiam consulendi secundùm sententiam benignam.

Quod *Amicus* dicit, meritò negant plurimi alii sapientissimi viri, uti constat ex dictis. ¶ 27

Auctores reliqui pro rigida citati planè inter se dissentiunt, & nec unus convenit cum altero, uti de multis ostendit *Carden.* d. 56. à n. 735., de reliquis patebit legenti ipsos: multi etiam non satis intelligunt principia sententiæ benignæ, uti ostendit *Carden.* à n. 914., aut certè dissimulant vim argumentorum illius. Quòd autem singulos attinet; *Mercor.* relabatur in sententiam benignam, uti ostendunt *Carden.* n. 738. & *Desch.* post c. 8. in app., nam dicit licere sequi minùs probabilem in quibusdam casibus, speciatim ob motiva extrinseca, uti est auctoritas DD, exempla majorum, præsumptiones, titulus possessionis, consuetudo, tolerantia approbata Superiorum in lege humana &c. *Fagn.* fatetur se non studuisse Theologiæ, hinc *Carden.* d. 57. n. 92. dicit nihil fuisse versatum in Theologicis. *Sinnich.* & *Baron.* pleni sunt convitiis, sicque ostendunt se non ratione sed passione motos: & observavi ego sæpe in lectione Auctorum, quòd qui convitiis, calumniis, aculeatis verbis utuntur, minùs intelligant, & sic scribant, quia destituuntur bonis argumentis: *nimiùm debiles sunt argumentationes*, inquit rectè *Carden.* in præfat. ad 3 pa. crisis, *qua ad sui confirmationem indigent maledictis*: & *Caram.* in severa argum.

methodo p. 1. d. 4. ait, *ad dicteria recurritur, cum de principali causa desperatur*: estque notum omnibus, quod quod sapientiores doctioresque sunt Auctores, tantò modestiùs scribant. *Merenda* liber est Romæ prohibitus. *Vendrochii* liber est damnatus ab Episcopis multis Galliæ & à DD. Parisiensibus, tanquam plenus hæresi Jansenianâ & maledictis. *Contensonus* etiam raptus est impetu, sententiam enim benignam vocat errorem intolerabilem, ab Ecclesia configendum potiùs, quàm sententias Jansenii. *Gonet* etiam fertur impetu, cum amaritie nimia in Auctores benignæ sententiæ: adhuc impetuosiùs rapitur *Jacobus à S. Dominico*, sententiam benignam vocans artem peccandi fucatam, quæ finat quemque ad arbitrium vivere, nullâ habitâ ratione legis vel consideratione finis ultimi; quæ stert pro lucro, commodo, voluptate &c. affingit præterea benignæ sententiæ plurima absurda, unde non videtur percepisse ejus principia, uti evidenter ostendit *Carden. d. 55. & 56. Comit. Theologiam* non docuit, unde & minoris auctoritatis est, uti nec docuit *Philaletus à Superioribus* prohibitus suum (est *Andreas Blancus*) aut Societatis nomen libro suo præfigere, uti de utroque testatur *Ess. a. 235. Rebel.* in loco, quem pro se citant Adversarii, de just. l. p. l. 3. q. 5., agit de Judicibus, quos etiam dicimus l. 4. n. 1480. debere sequi probabiliorem. *Elix.* ferè contra omnes docet nequidem sententiam probabiliorem esse regulam operationis honestæ, sed solam sententiam veram, quam in moralibus semper inveniri posse contendit, ac proinde cum sit singularis, non est audiendus, uti rectè *Teril.* in Reg. q. 49. Assert. 3., ubi q. 68. n. 1. addit, se nullum librum Auctoris Catholici unquam legisse, in quo tam parum veritatis invenerit. *Ess.* ubique, & di-
 rectè

rectè a. 156. concludit licere sequi opinionem minus probabilem & minus tutam, si excessus verisimilitudinis in parte opposita non sit manifestus & omnino indubitatus ipsi operanti, quod n. 152. falsus erat rarò contingere, quia non solent nec possunt homines assensu absoluto ita facile judicare hanc vel illam partem esse evidenter verisimiliorem. *Camargo* nimis præfidenter loquitur, ubique ferme dicens se demonstrare, cum revera non demonstrat; & ubi minus rationis habet, ibi utitur majore strepitu, artificio & contentione verborum, planè similis *Elizaldo*, cujus doctrinam sectatur. Etiam per totum nimis convitiis persequitur probabilissimum, quem cum necdum reprobarit Ecclesia, *Innoc. XI.* vetuit censurari; unde querelæ, quas p. I. l. 2. contr. 3. à n. 163. affert contra acrimoniam cujusdam Probabilistæ, recidunt in ipsum. Petit quidem in conclusione partis I., ut Lector repetat partis illius lectionem, eò quòd primà vice *cæcus* legerit, sed non video, quâ id ratione dicat, nam, quòd *videns* legerim, colliget ex illis quæ in decursu dixi & dicam.

Reliquis opponimus alios innumeros, qui antehac docuerunt, item qui adhucdum docent benignam, ita ut certum sit esse numero plures nec auctoritate minores; & licet aliqui in quibusdam circumstantiis vel explicatione disconveniant, tamen conveniunt in substantia, quòd liceat sequi probabilem relictâ probabiliore.

Hinc *Camargo* in proloquio partis I. frustra se fatigat in congerendis Auctorum textibus sententiæ suæ faventibus, nam iidem Auctores, quos citavimus, alibi clarè stant pro nostra, unde plus non evincet, quàm eos vel docuisse contradictoria, vel mutasse aliquando sententiam, vel utramque docuisse

isse velut probabilem, & pro his aut illis circumstantiis respondisse secundum utramque, uti notabo n. 373.

329 *Instabis. S. Th. 2. 2. q. 53. a. 5. ait, ad imprudentiam pertinet desistere à meliori, ergo etiam sequi minus probabilia. R. tantum vult esse minoris prudentiæ aut si desistatur sine prudente motivo, alioqui positiva imprudentia foret non sequi tutissima, item non sequi omnia consilia Evangelica & summè perfecta, quod patet esse falsum.*

330 *Obj. 2. Christus dicit, ego sum veritas, & non dicit, ego sum probabilitas, ergo non licet operari secundum opinionem probabilem, ita Sinnich & Conf. ex Arist. 1. Eth. c. 4. ubi ait, veritatem debemus inquirere & sequi, quantum possumus. Huc etiam facit illud S. Chryf. hom. 13. in Epist. 2. ad Corint. Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus: Item Auctoris operis imperf. apud Eliz. 1. 8. q. 9. §. 7. si vestimentum empsurus, unum giras negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris & viliori pretio, ab illo comparas, an non oportet populum circumire omnes DD, & inquirere, ubi sincerè veritas Christi venundatur & ubi corrupta, & veriozem eligere plusquam vestimentum? hinc dicit Eliz. 1. 6. q. 10. totam bonitatem alicujus Doctoris claudi illis verbis, Magister scimus, quia verax es, ergo solâ standum veritate in moralibus. R. 1. Christus dicit, ego sum veritas, & non dicit, ego sum major probabilitas, neque dicit, ego sum ignorantia invincibilis, ergo non licet operari secundum opinionem probabiliozem neque ex ignorantia invincibili, quod tamen negant Adversarii. R. 2. n. conseq., quia veritas potest attingi etiam per probabilem. ad Conf. admittimus inquirendam esse veritatem, & si inveniatur, operandum esse*

esse secundum illam, ubi autem inveniri non potest, & pro utraque parte est probabilitas, nulla lex vetat operari secundum alterutram, quia in utraque potest esse veritas, quam si operando non attingamus, per accidens est & excusat error invincibilis: videri potest *Teril. q. 53.*

Inst. 1. Probabilitas est æqualiter indifferens ad verum & falsum, ergo qui eam sequitur, non curat veritatem, & æquivalenter dicit, *volo die festo pingere, sive sit servile sive non*, ita *Alfaro. R. 1.* Etiam probabiliioritas & ignorantia invincibilis sunt æqualiter indifferentes ad verum & falsum in se, nec juvat major apparentia, quia & illa sæpe cum falsitate conjuncta est. *R. 2. n. anteced.,* cujus oppositum demonstratum est *n. 101.,* & hoc ipsum magis explicabitur *n. 357 R. 3.* Dato antec. *n. conseq.,* in veritatem enim serid inquisivit, quam cum hic & nunc impossibile sit reperire, acquiescit in probabilitate iudicii directi, & inde format iudicium reflexum certum, quo non dicit, *volo pingere, sive sit sive non sit servile, sed, volo pingere, quia nescio, quid sit servile, & probabiliter iudico non esse servile, ideoque resolvo non esse legem, qua me obliget ad non pingendum.* Quod præterea addit *Alfaro,* solvetur *n. 396.*

Inst. 2. Salvem talis homo pro regula actionum suarum non habet legem æternam, quia per errorem contra illam agit, uti suppono, ergo pro regula habet probabilitatem. *R. 1.* Idem valet contra illum, qui operatur secundum probabiliorem ex errore invincibili *R. 2.* Pro regula actionum suarum non habet legem æternam positivè præceptivam, c., permissivam, n, lex enim æterna & voluntas Dei permittit fieri, quidquid invincibiliter ignoramus esse prohibitum, & probabiliter putamus non esse prohibitum:

hibitum: neque ideo probabilitas est nostra regula operandi, sed primaria regula est voluntas Dei saltem permittens, secundaria autem applicans primam, est ultimum dictamen practicum certò verum, formatum secundùm illam probabilitatem præsuppositam, attamen ex aliis motivis & circumstantiis, uti explicatum est n. 312. & vide adhuc dicenda n. 339.

333 *Obj.* 3. Varios Canones, v. g. *Eugenius* Papa, Cap. *Iuvenis*, de sponsalibus ait, *In his qua dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*, ergo sequendum est hoc, quod est probabilius *R.* Ad hunc & similes textus, qui æqualiter pugnant pro obligatione sequendi tutiora, respondebitur n. 490.

334 *Obj.* 4. Operans cum dubio negativo de honestate suæ actionis, peccat, ergo multò magis peccat operans cum iudicio probabiliore, quòd sua actio sit illicita, hoc enim iudicium est plus, quàm dubium negativum, ita *Gonz.* *R.* 1. Ergo etiam peccat operans cum iudicio probabili, quòd sua actio sit illicita, hoc enim iudicium, etiam est plus quàm dubium negativum. *R.* 2. n. conseq., quia cum iudicio illo probabiliore, quòd actio sit illicita, stat iudicium, vel saltem motivum probabile, quòd sit licita, quo supposito prudenter formatur conscientia, secundùm dicta à n. 303. E contra si sit dubium negativum, nullum est iudicium vel motivum prudens iudicandi actionem esse licitam, ergo deest fundamentum pro formanda conscientia de honestate actionis.

335 *Inst.* 1. Quando iudicium speculativum est dubium, practicum etiam est dubium, sed operans secundùm probabilem habet iudicium speculativum dubium, ergo etiam practicum, ergo ultimum illius dictamen non est certum, ita *Gonz.* d. 7. §. 10. *R.* 1. Idem valet contra operantem secundùm probabilio-

rem, nam iudicium probabilius speculativum etiam est incertum & dubium. *R. 2. n. maj.*, superveniunt enim omnes rationes reflexæ pro formando iudicio pratico certo, uti dictum est n. 312.

Inst. 2. Ergo constitutus in dubio, an die festo liceat pingere, licite pinget ex vi huius dubii, quamvis nullum sibi dictamen formet, ita *Gonz. n. 81. R. 1.* Idem valet, si quis operetur secundum probabiliorum. *R. 2. n. seq.* nam non operaretur *ex fide*, nec haberet dictamen certam conscientia, quo dirigeretur: Notat tamen *Teril. de consc. q. 23. n. 31. & in Reg. q. 54. n. 8.* talem non peccaturum contra directam legem non pingendi, cum hæc illi sit incerta & forte non detur, sed tantum contra legem reflexam de non operando in dubio legis, nisi dubium propter rationem saltem probabilem deponatur & formetur dictamen reflexum de honestate operationis.

Inst. 3. Motivum probabilius elidit probabile, ergo non manet motivum prudens iudicandi, quod actio sit licita, ergo pure negative dubitat de honestate actionis *Prob. antec.*, nam si motivum A habeat probabilitatem ut *sex*, & motivum B. ut *tria*, quantum est pro veritate motivi A, tantundem est pro falsitate motivi B, ergo motivum B: nihil retinet probabilitatis pro veritate. *R. n. antec. c. jus prob. dist.*, quantum datur pro veritate motivi A, tantundem datur pro falsitate motivi B, cum aliqua certitudine ex hac aut illa parte, n, semper cum incertitudine utrimque, *c. ant. & n. utramque conseq.*, cum enim motivum A non sit certo sed probabiliter tantum connexum cum veritate, est & manet tantum probabile, probabilitas autem una non elidit probabilitatem oppositam, sed tantum certitudo, uti dictum est à n. 261.

Obi. 5. Operans secundum minus probabilem non

non est certus se eligere rem licitam, ergo non est certus se licite operari, ita *Baron.*; Addit *Auctor Synopsi* n. 120., nemo potest esse certus, quod non peccet hoc faciendo, nisi sit certus, quod per hoc non agat contra voluntatem & legem Dei, sed sequens minus probabilem non est de hoc certus, consequenter dicit, *etsi probabilius sit, quod Deus nolit hoc a me fieri, ego tamen volo facere. R. ad 1.* Idem valere contra operantem ex probabiliore; hinc dist. antec. non est certus se eligere rem in se & materialiter licitam, c, (neque hoc requiritur, quia ubi utrimque est probabilitas, impossibile est hoc resciri) non est certus se eligere rem hic & nunc formaliter licitam eligi, n, vel subdist., non est de hoc certus, ex vi iudicii directi tantum probabilis, c, ex vi iudicii reflexi & motivorum ejus, n. antec, & conseq. vide dicta n. 332. & 312. *R. ad 2.*, non esse quidem certum, quod non agat contra legem Dei primariam & per se, (neque hoc requiritur, cum resciri non possit, an actio sit reipsa prohibita necne) esse tamen certum, se non agere contra, sed agere secundum legem Dei secundariam per accidens obligantem vel saltem permissivam, secundum ibidem dicta n. 332., Unde sic dicit, *quamvis probabilius sit, quod Deus id nolit tamen quia etiam est probabile, quod velit vel saltem permittat, & quia Deus me nullibi obligat ad sequendum hoc, quod est probabilius, hinc volo hoc facere, non facturum, si scirem Deum id nolle.*

339

Camargo l. 1. *controv. 10.* acerrime pugnat contra legem illam secundariam aut permittentem Dei, sed omnia ipsius argumenta retorquentur in casu opinionis probabilioris aut etiam probabilissimae reipsa falsae, operatio enim in his casibus non est conformis voluntati absolutae & antecedenti Dei, uti certum est, & tamen est licita, uti ipsi fatentur, ergo est

est conformis alicui alteri Dei voluntati per accidens & saltem permittenti. Quæ opponit, solvuntur ex dictis n. 29. & 47., & maxime à n. 14., nam ipse cogitur negare actionem illam esse honestam, quæ procedit ex conscientia invincibiliter erronea dictante esse honestissimam aut etiam obligatoriam. Præterea nos non negamus, (an neget *Teril.*, nil ad nos) quòd mendacium prolatum ex errore invincibili, quòd liceat, sit materialiter malum & oppositum legi æternæ Dei per se & antecedenti, nam hoc diximus n. 279., & fatemur legem illam antecedentem semper manere immutatam, sed dicimus suspendi obligationem proximam illius legis, eò quòd hic & nunc non applicetur nobis per cognitionem malitiæ, quæ est in mendacio, cujus tamen cognitionis defectus cum sit inculpabilis, & existens ejus loco error sit invincibilis, mendacium non potest esse formaliter sed tantùm materialiter oppositum legi æternæ & antecedenti Dei, uti constabit ex dicendis l. 5. à n. 15. & 25., sed in istis circumstantiis est formaliter licitum, ergo necessariò debet esse in Deo alia lex æterna per accidens & saltem permittens, cui conformetur volitio mendacii. Denique admittendam esse in Deo aliquam voluntatem per accidens, nostro modo loquendi, & consequentem, videtur manifestum; nam si Titius hac occasione eligatur in Papam, quia Sempronius formaliter odit Cajum, qui alioqui debet, & justè fuisset eligendus, Voluntas Dei antecedens & per se erat, ut Cajus esset Papa, nunc autem ex suppositione malitiæ Sempronii, Voluntas Dei consequens & per accidens est, ut Titius sit Papa, ideòque Christus confert Titio jurisdictionem & potestatem in totam Ecclesiam, ergo. His observatis profus inania sunt argumenta, quæ, si ullibi, hìc Concionatoriè proponit *Camargo* per paginas 48. in

folio. Legatur à n. 224., ubi fertur impetuosè, sed nos non tangit.

Urget à n. 144. Opinio probabilis fundabit legem illam consequentem Dei, & etiam ultimum dictamen practicum, ergo opinio probabilis erit regula objectiva honestatis formalis, non subordinata ulli alteri regulæ objectivæ, sed omnino prima & independens, nam, saltem si sit falsa, non subordinatur legi Dei antecedenti, uti patet; sed nec consequenti, nam lex consequens est posterior, suo modo, & fundatur in illa opinione probabili; Deus enim per accidens hoc permittit ex suppositione opinionis probabilis, uti dicitis, ergo opinio probabilis erit regula objectiva prima & absoluta, subordinata solis nostris erroribus. *R.* 1. Idem valet in casu, quo quis operatur ex opinione probabiliore aut etiam probabilissima falsa, uti patet applicanti terminos. *R.* 2. Opinio probabilis dici potest fundare ultimum dictamen, hoc sensu, quòd sit objectum, super quo se reflectit illud dictamen; malè autem dicitur fundare legem Dei consequentem tanquam regula illius, aut tanquam regula prima objectiva operationis nostræ, sed tantùm est conditio, quâ positâ lex Dei consequens, quæ sola est regula objectiva prima respectu talis operationis, per ultimum dictamen tanquam per ultimam regulam formalem applicatur huic operationi dirigendæ, nam Deus ab æterno & pro priori ad ullam nostram operationem moralem habuit legem antecedentem tanquam regulam per se omnis honestatis vel inhonestatis moralis, sed quia per infinitam suam sapientiam videbat in homine moraliter operaturo sæpe futurum errorem invincibilem & opinionem prudentem, quòd aliquid liceat, cum tamen re ipsa non liceat nec sit conforme legi antecedenti, pro his casibus habuit

Legem

legem consequentem, quæ per accidens esset regula honestatis vel inhonestatis, & hæc lex consequens, prout lex est & in communi, est totâ æternitate prior ac omnino independens ab omni operatione particulari hominis, dicit enim, *Si adfuerit error invincibilis aut opinio prudens, volo aut permitto operationem poni*, ubi vides, quòd reipsa antecedit operationem nostram, quamvis ut hanc vel illam operationem dirigat, præsupponat & suo modo quasi se accommodet errori invincibili aut opinioni probabili, respectu cuius ideo dicitur esse jam dicto modo consequens. Lex itaque secundaria consistit in hoc, quòd Deus ab æterno velit aut permittat nos agere hoc, quod invincibiliter judicabimus agendum, vel quod prudenter putabimus esse licitum; ratio autem, cur Deus ita velit aut permittat, non est noster error aut opinio probabilis, sed est sapientia infinita Dei, cui conforme est sic velle aut permittere, ne homines peccent ex hoc, quod invincibiliter ignorant esse peccatum, vel quod prudenter judicant esse licitum; unde sicuti perfectioni primæ causæ non derogatur per hoc, quòd Deus nostræ libertati attemperet suam omnipotentiam per decretum indifferens, secundùm principia scientiæ Mediæ, ita nec derogatur primæ regulæ morali objectivæ, quòd simili ferè modo legem suam secundariam attemperet errori invincibili aut opinioni probabili, uti notavit *Palancus*; & quæ contra hæc asserit *Camargo* à n. 180., prorsus nihil evincunt.

Urget iterum l. 2. contr. 4. à n. 424., Si fiat contractus, qui minùs probabiliter censetur esse licitus, si reipsa non sit licitus, Deus per accidens vult, uti dicitis, ut sit licitus, ergo si conficiatur Sacramentum, quod minùs probabiliter censetur esse validum, si reipsa non sit validum, Christus per accidens

volet esse validum: consequens autem est apertè falsum, ergo & antecedens. *R. I.* Idem valere, quamvis sequaris probabiliorem in contractu vel Sacramento conficiendo. *R. 2. n. seq. maj.*, ut contractus sit licitus, satis est à Deo permitti ex suppositione conscientiae invincibiliter erroneae, uti sæpe dictum est; E contra ut Sacramentum conficiatur validè, debet hoc determinatè poni, quod Christus requisivit, si autem hoc omittatur, etiam quomodocumque inculpabiliter, & in quacumque necessitate vel suppositione, Sacramentum non erit validum. Ratio utriusque à priori est, quia ex suppositione conscientiae invincibiliter erroneae necesse fuit in Deo esse illam voluntatem per accidens, uti antè ostensum est, è contrà talem Christi voluntatem per accidens non fuisse in constitutione Sacramentorum, scimus aliunde, & saltem ex declaratione Ecclesiae, quæ ideo docet in illis conficiendis sequenda esse tutiora, ne exponantur periculo invaliditatis.

340

Et cùm Auctor hic meminerit de Sacramentis, libet ejus circa illa doctrinam paucis proponere, & aliquot ad hanc rem nostram reflexiones subjicere. *A. n. 180.* docet, ad conficienda & suscipienda Sacramenta sufficere opinionem verè probabilem de valore; si enim, inquit, requireretur certitudo, Confessarius non posset absolvere poenitentem dantem doloris signa, quia hæc possunt fallere; nec parochus posset baptizare infantem, quem Pater testatur non esse baptizatum, quia hoc testimonium etiam potest fallere; imò nullus Sacerdos auderet consecrare, quia certus non est se esse rite baptizatum, validè ordinatum &c. *Addit à n. 203.* posse aliquem, etiam extra necessitatem, in administratione Sacramenti ferri sententiam communem, v. g. adhibere materiam, quam Auctores communiter docent esse validam,

dam, licet unus vel alter etiam clari nominis Doctor dicat esse invalidam. *Addit* à n. 211. licitum esse ministrare ac suscipere Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore finè certa intensiōe vel duratione, cum dolore de peccatis in communi, cum attritione &c., quamvis oppositas sententias teneant Auctores gravissimi, dicit enim periculum deceptionis ibi non esse moraliter æstimabile nec moraliter evitabile. *Addit* à n. 219. difficultatem communem, qualis esset molestia nimix sollicitudinis & anxietatis pro adhibenda extraordinaria diligentia, ut plurimum sufficere ad hoc, ut non sit obligatio cavendi periculum erroris circa valorem Sacramenti, si talis error aliquando, attamen non plerumque, contingat, & ita licitè consecrat Sacerdos, quamvis non antè explorarit, an verè sit panis triticeus aut verè vinum, quod consecrat &c. *Hæc assertio*, inquit, *mibi haud parum negotii facesseret, nisi piorum hominum pariterque sapientium consuetam ac communem praxin attenderem, de cujus honestate dubitare non audeo.* *Subdit* n. 231. *Verum quid si in re tanta miserè cecutimus? Misereor certè ex animo, non mei tantum meique similium, sed & aliorum plurium sapientium ac piorum valdeque memorum muneris sui: interim tamen aliter non sapiam, dum me Doctores alii, aut, quæ doctrix est omnium, Petri Sedes, Veritatis Magistra, aliter me sapere doceant.*

Objicit sibi 1. à n. 232., ergo non est obligatio, quàm maximè possumus, enitendi ad veram certitudinem de valore Sacramenti, cujus tamen oppositum à n. 193. tenuerat. 2. ergo non erit major sollicitudo adhibenda in Sacramentis quàm in aliis materiis. *Respondet* ad 1. n. seq., quia, moraliter loquendo, major esse non potest nec debet, ne Sacramenta propter homines instituta fiant odiosa, & tam

conficientibus quàm suscipientibus nimis onerosa; item ne sint continua pericula peccandi, dum ministrantur vel suscipiuntur, unde, moraliter loquendo, major sollicitudo censetur nobis impossibilis; ideoque à n. 243. monet Professores Theologiæ moralis, ne plus justo rigidi sint in sententiis, sed ubique servant modum & quoddam medium. *Ad 2.* iterum negat seq., quia Dei voluntas, quam pluribus exponit à n. 356., majorem hinc certitudinem moralem exigit ob summam rei dignitatem, & ne proximus privetur fructu &c., nihilominus certitudinem majorem non requirit quàm antè relatam, licèt illi adjunctus sit timor deceptionis, qui quamvis sit prudens, tamen n. 326. dicit prudenter contemni posse. Denique à n. 430. conatur probare, ad hoc, ut minister Sacramenti aut quivis alius licitè operetur, non esse necesse, ut certus sit de honestate suæ operationis, sed sufficere veram probabilitatem.

Quod attinet ad doctrinam illam circa consecutionem & susceptionem Sacramentorum, de illa dicam l. 6. Huc spectant seqq. reflexiones, 1. si damnare non audeat praxin illam circa Sacramenta, quia communis est apud pios & sapientes viros, quomodo audeat damnare praxin probabilissimi circa alias materias, cum sit ita communis apud pariter pios & sapientes. Etiam probabilistæ nequeunt aliter sapere, *dum aliter doceat Petri Sedes.* 2. si Deus in sanctissimo ac hominibus maximè necessario negotio Sacramentorum non offenditur errore, multò minùs in quotidianis operabilibus. 3. si pro Sacramentis sufficiat opinio verè probabilis; quia requirere certitudinem esset difficillimum, ac redderet Sacramenta odiosa & nimium onerosa, ergo nec pro quotidianis operabilibus oportet requirere probabilitatem, quia hanc discernere est, etiam plerisque animarum curatoribus,

bus
tam
ner
end
dit
cran
con
dict
ren
fufc
tidia
quia
5. S
plus
rian
gun
tuti
xi n
posi
tim
mus
mag
tra
den
depe
sacr
cien
nun
pro
tem
nùs
rigi
ince
ter

bus, difficillimum, uti ostendi à n. 150. & 293. , at-
tamen in sententia adversariorum teneremur discer-
nere, quia in debito faciendi includitur debitum sci-
endi, uti ibid. dixi: Deinde opposita sententia red-
dit non tantum confessionem & susceptionem Sa-
cramentorum difficillimam, sed etiam directionem
conscientiæ tam propriæ quàm alienæ , ut ostendi
dicto n. 293. 4. Si pro Sacramentis non est requi-
renda certitudo , quia hæc induceret conficientes &
susipientes in pericula peccandi, ergo nec pro quo-
tidianis operabilibus est requirenda probabilitas,
quia hæc induceret in quotidiana pericula peccandi.
5. Si Professores Theologiæ moralis non debent esse
plus justo rigidi, ergo maximè cavere debent senten-
tiam oppositam, quæ est fons Rigoris, & cujus ar-
gumenta, si quid evincant , probant tandem etiam
tutiora esse sequenda, uti ostendi n. 292. , ideòque di-
xi n. 294. & iterum dicam n. 475. sententiam op-
positam esse periculosiorem quàm nostram. 6. Si
timorem prudentem erroris prudenter contemni-
mus, quando ministramus Sacramenta, ergo multò
magis, quando alia minùs digna operamur. (Con-
tra hoc tamen est, quòd, si timor sit prudens, pru-
denter contemni non possit, sed debeat prudenter
deponi, maximè cum agatur de inhonoratione rei
sacræ & damno proximi) 7. Adversarii pro suffi-
ciente ultimo dictamine in quacumque materia po-
nunt actum opinativum & formidolosum, nos verò
probavimus à n. 46. debere esse certum.

Instabis 1. Quidquid sit de hæcenus dictis, sal- 341
tem videtur certum, quòd sententia benigna sit mi-
nùs certa quàm rigida , ergo est obligatio sequendi
rigidam, nam S. Aug. dicit, *tene certum, dimitte
incertum*: Et l. I. de Bapt. contra Donat. , *gravi-
ter peccatur in rebus ad salutem animæ pertinen-
tibus,*

ribus, vel eo solo, quòd certis incerta præponantur.
Conf. Ideo tenenda est Religio Romana, quia omnes dicunt nos in ea salvari posse, è contrà non omnes dicunt nos posse in aliis salvari; atqui etiam omnes dicunt nos bene agere sequendo probabiliora, non dicunt autem omnes sequendo probabilia, ergo. Ita *Eliz.* l. 8. q. 3. §. 3. R. 1. n. antec., quia dato, quòd rigida sit tutior, non ideo est certior, quia est major ratio firmiter adhærendi benignæ. R. 2. Dato antec. n. conseq., benigna enim est satis certa, & alioquin teneremur semper sequi tutissimas. *Ad 1. ex S. Aug.* sic responderet *S. Anton.* 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10., *Augustinus loquitur in dicto capite propriè de eo, qui differt pœnitentiam usque ad extremum vite, cujus salvatio est & incerta, quia incertum est & dubium, an talis verè pœniteat.... sed extendatur illa auctoritas Augustini ad alias materias morales, notandum secundum Cancellarium, (Gersonem) quòd certitudo, qua requiritur in materia morali, non est certitudo evidentiæ sed probabilis conjectura &c.*, intellige secundum dicta n. 181. *Ad. 2.* Loquitur de eo, qui convictus de veritate fidei, adhuc dubitabat, an sit peccatum recipere baptismum inter hæreticos, unde dubium illud erat planè imprudens: & in Sacramentis aliisque de necessitate mediis requisitis dicit etiam benigna sententia, quòd tutiora sint sequenda. *Ad conf.* n. paritatem, Religio vera est de necessitate mediis, circa talia autem tenemur probabiliora & tutiora sequi.

342 *Inst.* 2. Sententia rigida est saltem probabilis, uti fatentur multi cum *Castrop.* d. 2. p. 2. n. 2. & evincunt argumenta allata & afferenda, ergo dictamentum formatum secundum benignam non potest esse certum. *Conf.* 1. quia probabile est dari legem de sequendis

quendis probabilioribus, ergo ignorantia illius legis non est vobis invincibilis, potestis enim assentiri, quòd talis lex detur, ficque habetis sufficientem illius notitiam, & qui non vult assentiri, *non vult intelligere, ut bene agat. Conf. 2.* nam cùm sententia benigna sit tanti momenti & veluti cardo totius Theologiae moralis, deberet niti principiis apertè demonstratis, qualia non sunt, quæ à n. 268. sunt allata, ita *Daniels. Conf. 3.* nam si sententia benigna esset certa, Societas JESU in Congreg. XIII. decreto XVIII. non permisisset rigidam doceri, utpote improbabilem, ita *Erenth. a. 8. R. 1.* Sequendo principia Adversariorum, sententia benigna est certa, & rigida est improbabilis, nam secundùm ipsos argumenta probabilia eliduntur per probabiliora, sed certum est, quòd pro benigna sint argumenta probabiliora, ergo argumenta pro rigida eliduntur, & consequenter benigna erit certa. *R. 2. Teril. in Reg. 343*
 q. 2. n. 190. dicit sententiam rigidam in materiis obedientiae & justitiae esse improbabilem, in aliis materiis permittit aliquam probabilitatem: *Moya de op. prob. q. 6. n. 39.* & apud hunc *Ioannes à S. Thoma & Prado, Item Illf. tr. 1. d. 1. n. 59. Sanch. in Decal. l. 1. c. 9. n. 14. Stoꝝ. l. 1 p. 5. n. 134. Bress. l. 3. c. 6. n. 75. Carden. in l. crisi d. 56. n. 233.* & plerique alii dicunt benignam esse evidentem vel moraliter certam, adeoque rigidam esse improbabilem: *Nec ob stare, quòd defendatur ab aliquibus, quia contra principia intrinseca certa non valet auctoritas extrinseca: Quidquid sit de hoc, R. 3. Saltem probabilissimè dicimus, quòd ultimum dictamen reflexum sit certum, est autem certum licere operari secundùm sententiam probabilissimam, quia Alex. VIII. inter 31. damnavit etiam hanc tertiam propositionem, non licet sequi opinionem vel*
 344

- inter probabiles probabilissimam* : & si ad prudenter operandum sufficit iudicium directum simpliciter probabile vel saltem probabilius, uti volunt Adversarii, etiam sufficiet reflexum, quod est moraliter certum vel saltem probabilissimum : quod *Conf.* nam si sententia rigida sit vera, non requiritur certitudo ad licitè operandum, si autem benigna sit vera,
- 345 vi illius habemus certitudinem sufficientem. *Ad 1. Conf.* n. conseq., quamvis enim assentirer, assensus esset tantum probabilis, ergo necdum scirem dari illam legem : è contrà cum habeam graviora motiva, quod non detur, nunc multò minus scio sed magis invincibiliter ignoro: nec dici potest, quod nolim intelligere, ut bene agam, nam adhibui diligentiam, ergo cum non potuerim rescire voluntatem Dei positivam, licitè operor secundum permissivam.
- 346 *Ad 2.* sufficit certitudo moralis, quam descripsimus à n. 178. vel saltem sufficit esse probabilissimam: imò à contrario sic argumentor, non debet imponi lex ignota ita universalis & dans occasionem infinitis propè peccatis, nisi clarè demonstrari possit illius existentia, sed hæc non potest clarè demonstrari, imò
- 347 nec probabilius suaderi, ergo. *Ad 3.* Societas permittit rigidam doceri ab illo, qui eam iudicat probabilem, non dicit autem esse talem, sed hoc relinquit examini Doctorum.
- 348 *Inst. 3.* Iudicia reflexa non possunt, nequidem quoad nos, reddere objectum magis licitum, quam iudicia directa, cum nihil agant in objecto, sed directa non reddunt nisi probabiliter honestum, ergo nec reflexa. *R. 1.* Ergo etiam si iudicia directa sint probabiliora, tamen reflexa non reddent objectum quoad nos certò licitum, quod patet esse falsum, nam iudex per iudicia reflexa certissimus est damnationem Rei tibi esse licitam, cui per iudicia directa tantum

tantum probabilius est esse licitam, quia non certo, sed tantum probabilius iudicat illum esse verè convictum: hinc, *R.* 2. n. maj., nam pro iudiciis reflexis accedunt nova motiva, uti ostensum est n. 312. Et quamvis nihil mutationis fiat in objecto, tamen iam applicatur nobis tanquam certo licitum poni, licet fortè per accidens sit in se illicitum.

Inst. 4 Nemo est certus, quòd satis examinarit sententias; quòd iudicet sine passione; quòd homo à se consultus sit peritus aut sincerè respondeat &c. ita *Gonz.* d. 4 n. 55. *R.* Est satis certus moraliter, scit enim se humanam adhibuisse diligentiam; experitur se bonà fide procedere; scit consultum communiter haberi peritum, & temerarius foret, si de insinceritate suspicaretur.

Urget Camargo l. 2 cont. 4. à n. 299. Scriptura & SS. PP. commendant timorem peccati in omni opere nostro, dicunt ubique esse pericula, errores, ignorantias &c. E contra probabilismus docet operantem ex opinione probabili esse certum se non peccare & securum, ergo probabilismus non est conformis Scripturæ & SS. PP. Hæc ipsa fusiùs & contentiosius urget à n. 490. & 497. *R.* Meritò commendari timorem peccati, & asseri pericula &c.,

1. Quia per nostrum dictamen practicum plerumque non sumus nisi moraliter certi de eo, quòd non peccemus, uti dixi n. 50., morali autem certitudinè potest absolutè subesse falsum.
2. Passio vel negligentia potuit dedisse causam errori, qui proinde non erit inculpabilis.
3. Quamvis quis videatur sibi formare dictamina certa, fortè intercurrunt dubia & non satis formatur conscientia.
4. Potest defectus baptismi in me, vel potestatis in ministro impedire valorem Sacramentorum.
5. Potest aliunde prava intentio se subtiliter ingerens vel alia circumstantia

stantia vitare nostras actiones. 6. Fortè opinio, quam sequor, non est certò probabilis, nam difficile est discernere, uti dixi à n. 150., & sæpe concupiscentia, amor proprius, fraus dæmonis fucum facit intellectui de probabilitate opinionis judicanti. Vide etiam dicta n. 52. & 53.

350 *Obji. 6.* Operans secundum minus probabilem judicat objectum suæ actionis esse potius illicitum, ergo non est certus se licitè agere. *R.* Judicat esse potius illicitum, spectatis præcisè principiis directis, & reflexis, n. ant. & conseq.

351 *Inst. 1.* Si actio non est certò licita ex principiis directis, ergo simpliciter non est certò licita, ad hoc enim requiritur esse certò licitam ex omnibus principiis, quia bonum est ex integra causa, & malum ex quolibet defectu. *R. 1.* Retorquendo, si ex ratione naturali non sit certum dari Trinitatem in Deo, ergo non est simpliciter certum &c. *R. 2.* Idem valere, si opereris, etiam ex probabiliore vel probabilissima. *R. 3.* n. seq., quia sicuti certitudo Trinitatis non petitur ex principiis naturalibus, sed ex principiis fidei supponentibus cognitiones naturales, ita certitudo conscientia non nititur cognitionibus directis tanquam præmissis, quas affirmet veras, sed tantum reflectit se supra eas tanquam existentes saltem objectivè, qualiter existere certum est, uti explicavimus n. 306.

352 *Inst. 2.* Est certus de majore probabilitate, quòd objectum sit illicitum, ergo non est certus esse licitum. *Conf.* nam si certus sum de majore probabilitate, quòd objectum sit impossibile, non possum esse certus, quòd sit possibile, ergo similiter hic, ita *Gonz.* n. 52. *R. 1.* Operans secundum probabiliorem faventem libertati contra legem, est certus de probabilitate, quòd objectum sit illicitum, ergo non est certus esse licitum. *R. 2.* spectatis præcisè principiis directis

directis, c, spectatis etiam reflexis, n. conseq. *Ad Conf.* n. paritatem, major probabilitas esset de impossibilitate in se à parte rei, & certitudo esset de possibilitate etiam in se à parte rei, quod apertè implicat, cùm certitudo elidat probabilitatem circa idem: è contrà major probabilitas per judicia directa est de illicito in se, à parte rei; & certitudo per judicia reflexa, non est de licito in se à parte rei, sed est de licito poni & respectivè ad conscientiam, etiamsi fortè in se à parte rei sit illicitum, ergo disparitas est manifesta.

Urget Camargo l. 1. contr. 7. à n. 29., Sic operantem non seridò inquirere in voluntatem Dei, nec revereri ejus legem, quia facit hoc, quod ipsi est verisimilius esse contra voluntatem & legem Dei: *Sed* si argumenta ipsius tenent, etiam ille non censebitur inquirere in voluntatem Dei nec reverebitur legem ejus, qui non sequetur tutiora. Adde, quamvis facias hoc, quod ipsi est verisimilius esse contra voluntatem & legem Dei, tamen aliis, quos scit esse Viros sapientes & fortè Sapientiores, quàm se, est verisimilius non esse contra voluntatem nec legem Dei, nulla autem lex eum obligat sequi potius suam quàm aliorum opinionem, dummodo ipse sibi formet conscientiam, secundùm dicta n. 307. Vide etiam dicenda n. 377.

Obji. 7. Qui operatur secundùm minùs probabilem, exponit se periculo peccandi; deinde agit imprudenter, sicut imprudens est, qui utitur horologio minùs bono, ita *Merc. & Eliz.* l. 3. q. 10. *R.* Exponit se periculo peccandi formaliter, n, materialiter c, hoc autem non tenemur vitare, ubi non possumus rescire veritatem, & è contrà ad sic operandum habemus prudens motivum, quod vel inde patet, quia periculum peccandi materialiter manet, licèt quis sequatur probabiliorem, imò & moraliter certam,

certam, nam & hæc possunt esse falsæ. Adde, quòd obligatio sequendi probabiliorem plures homines exponeret certo periculo peccandi formaliter, quia multi vel ex fragilitate non operarentur secundùm illam, vel cum dubiis operarentur, aut saltem redderentur perplexi, non potentes discernere probabiliorem secundùm dicta n. 293. Illud de horologio nihil evincit, nam bona fides aut ignorantia invincibilis non facit vel horologium vel tempus conformari cursui Solis, è contrà ignorantia invincibilis & bona fides facit operationem meam conformari saltem secundariæ & permittenti voluntati Dei.

354 *Inst.* Quidam damnatus est, eò quòd secutus fuisset sententiam probabilem de retinendis simul pluribus præbendis, uti refert *Thomas Cantipratanus*, ergo. Ita *Gonz.* d. 4. n. 46. *R.* Damnatus est, quia secutus fuit probabilem non formato dictamine, quòd id sibi liceret, uti patet ex verbis *Cantipratanus*, quæ refert *Gonz.* n. 45. *revertitur enim dimittere præbendas, experiri se velle dicens, utrum esset damnabile beneficia plura tenere, mortuus est ergo sic, &c.* utique pessimè, quia dubitans, an bene an malè ageret, seque apertè exponens periculo damnationis: oppositum est in operante ex probabili, formato sibi dictamine certo, quòd id liceat.

355 *Obj.* 8. Certum est unam ex duabus oppositis opinionibus esse falsam, cum sint contradictoriæ, ergo non potest aliquis sequi utramque, quam volet, quia alioqui certò sciet se sequi unam falsam. *R.* 1. Ergo nec potest sequi probabiliorem, quia etiam illa potest esse falsa. *R.* 2. Certum est unam esse falsam, hanc determinatè vel illam, n, unam indeterminatè, c, cum quo stat probabilitas utriusque, uti constat ex dictis à n. 237.

356 *Inst.* 1. Nemo potest simul assentiri duabus propositionibus

positionibus contradictoriis, sed ut licite sequatur, quam volet, deberet utrique assentiri, ergo, ita *Baron. & Mercor. R. I. n. min.*, secundum dicenda à n. 387. *R. 2.* dato requiri assensum, ad hoc, ut liceat sequi probabilem, adhuc dico posse eligere, quam volet, quia poterit assentiri parti, cui volet, uti dicitur n. 398. & 414.

Inst. 2. Probabilitas habens se ad utrumque 357
contradictorium est indifferens ad verum & falsum, ergo non potest fundare dictamen certum, nec servire pro regula nequidem secundaria conscientiae, regula enim secundaria debet esse subordinata & conformis primae, sed prima, quae est lex in Deo existens, non est indifferens ad utramque partem contradictionis, sed determinate affixa ad solum verum, ergo. Ita *Eliz.* addens interposito juramento nihil sibi unquam visum esse evidentius, quam eam probabilitatem non esse bonam regulam conscientiae. *R.* Malè apprehendi, quasi dicamus dari unam probabilitatem utrique contradictorio communem, quae serviat pro regula sequendi partem, quam quis volet, evidens enim est nullam dari posse probabilitatem pro complexo contradictoriorum, cum evidens sit illud constare vero & falso: itaque dicimus ibi dari duas probabilitates in individuo, unam pro hac, alteram pro ista parte contradictionis, quarum probabilitatum singularum ex vi sui motivi sunt ad verum tantum, nam singularum motivum sollicitat intellectum ad assensum, assensus autem est tantum ad verum saltem apprehensum, uti dictum est n. 101. De his ergo probabilitatibus, v. g. quod non liceat & quod liceat pingere die festo, diximus jam n. 332. & 339. quod sint subordinatae & conformes legi divinae, nam supposito, quod non liceat pingere, tum prima probabilitas est conformis legi divinae primariae & prohi-

prohibenti, secunda autem probabilitas erit quidem illi legi primariæ difformis, tamen quia hæc lex invincibiliter ignoratur & ex gravi motivo judicatur non existere, est in Deo alia lex secundaria, in his circumstantiis permittens pingere, cui hæc secunda probabilitas etiam conformis est, hinc possumus nobis formare regulam formalem sive conscientiam, quod suppositâ illâ probabilitate nobis hic & nunc liceat pingere, uti explicatum est à n. 338, Potestque etiam videri *Teril.* in Reg. q. 49. à n. 4.

358 *Inst.* 3. Saltem ut quis licitè sequatur opinionem, debet judicare illam esse probabiliter veram, sed nemo potest judicare utramlibet partem contradictionis esse probabiliter veram, ergo nemo potest utramlibet partem contradictionis sequi. *Major.* patet, quia probabilitas dicitur in ordine ad veritatem, & si opinio non sit probabiliter vera, non est prudens, imò nemo potest eam habere, quia omnis assensus est ad veritatem. *Minor.* etiam prob. quia licet utraque pars contradictionis possit simul habere grave motivum & apparentiam veri pro se, ideoque aliquis possit judicare utramque partem simul esse probabilem, tamen impossibile est etiam opinativè tantum judicare utramque simul esse veram, sive in utralibet parte esse veritatem, quia evidens est in alterutra parte esse falsitatem, ergo. Ita *Ebrenthr.* a. 3. R. n. min., cujus prob. dist., impossibile est opinari utramque simul & copulativè esse veram, sive, quod complexum illud contradictoriarum ex utraque parte habeat veritatem. c, utramque simul, sed distributivè & divisivè esse veram, id est, pro veritate hujus esse hoc motivum grave, & pro veritate illius esse istud aliud motivum grave, n, nec plus requiritur, uti à n. 387. ostendetur; quòd si requireretur assensus determinatè ad illam partem, quam quis vellet sequi, posset

posset hunc etiam habere, uti etiam ostendetur à n.
398. & 414.

Inst. 4. Certum est alterutrum ex istis contra- 359
dictoriis esse illicitum, ergo saltem dici non potest,
quòd utrumque sit practicè & conscientialiter pro-
babile. *Conf.* 1. nam si pars utraque sit conscientia-
liter probabilis, ergo utraque approbatur à Deo, ergo
Deus approbat unam partem, quæ est intrinsecè ma-
la. *Conf.* 2. quia Doctrina conscientialiter proba-
bilis debet esse sana, sed utraque pars non est sana,
nam *S. Th.* in cap. 4. Epist. 2. ad Timoth. ait, *Sana
doctrina est, quando non habet admixtam falsita-
tem*, ergo. Ita *Eliz.* q. 13. ergo. *R.* n. conseq, illud
enim, quod per se est illicitum, fit per accidens lici-
tum ratione ignorantix invincibilis &c. secundùm
dicta n. 312. *Ad Conf.* I. n. seq., illud enim, quod
in se est illicitum, Deus non approbat positivè, sed
tantùm permittit, & ideo illius electio nobis fit li-
cita, quia ex gravibus motivis judicamus illam esse
licitam ac permissam à Deo. *Ad 2.* debet esse sana,
semper materialiter & per se, id est, debet semper esse
in se vera, n, saltem formaliter & per accidens ra-
tione ignorantix invincibilis, c, itaque per hoc est
sana, quòd ex motivo gravi dirigat mores & à pec-
caro liberet, & illo sensu dicimus totam doctrinam
S. Thomæ esse sanam, licet fortè aliqua falsa conti-
neat. *S. Th.* citatus loquitur cum Apostolo de Do-
ctrinis fidei, quæ certissimæ esse debent sine ad-
mixtione ullius falsi. Vide *Teril* q. 29. à n. 96.

Objs. 9. Opiniones ab *Alex. VII.* & *Inn. XI.* 360
damnatæ habebantur antea probabiles, & tamen
sunt damnatæ tanquam in praxi perniciosæ, ergo
quamvis opinio habeatur probabilis, non ideo potest
practicari. *R.* Non ideo potest practicari, quamdiu
manet probabilitas illius, n, si illius probabilitas sit
sublata,

N

sublata,

sublata, c, & idem dicendum est ab Adversariis, h
enim opinio antehac probabilior damnetur au
nunc inveniatur ratio faciens oppositam esse mora
liter certam, eodem modo illa, quæ fuit probabilior,
reddetur practicè improbabilis.

Instat 1. Camargo l. 2. contr. I. à n. I., Decreta
Pontificum non fecerunt illas opiniones esse pernicio-
sitas in praxi, ergo antecedenter erant tales. *R.* Er-
rant tales, materialiter & secundùm se, c, formaliter
quoad nos, n, nam, quæ erant verè probabiles, erant
quidem occasio peccati materialis, quia inducebant
ad actionem legi Dei antecedenti difformem; quia
tamen id invincibiliter ignorabamus, & nitebantur
motivo gravi, fundabant nobis prudens dictamen,
& sic per accidens excusabamur à peccato formali.

Instat 2. contr. 3. Hæc propositio damnata,
Probabiliter existimo Iudicem posse judicare juxta
opinionem etiam minùs probabilem, deducta est ex
probabilismo, ergo cùm ex vero non sequatur fal-
sum, probabilismus est falsus. *R.* Si deducta est ex
probabilismo, deducta est ex illo malè intellecto &
malè applicato, uti ex locis Scripturæ vel dictis
S. Augustini deducunt hæretici suos errores.

Instat 3. Suppone Judici probabilius esse, quòd
testamentum sine solennitate factum non valeat,
minùs autem probabile esse, quòd valeat: tum sic,
si probabilismus est verus, licitum erit Judici ferre
sententiam secundùm hanc minùs probabilem, nam,
secundùm probabilistas, lex requirens solennitates
non erit sufficienter promulgata, cùm oppositum sit
probabile, ergo certum erit non obligare, imò nec
existere, cùm de essentia legis sit promulgatio, ergo
cùm nulla lex obster, poterit imò debet Judex sta-
re pro valore talis testamenti. *R.* n. seq., quia Ju-
dex aliunde habet certam legem, quâ tenetur sequi
hoc,

hoc, quod ipsi est directè probabilius, uti dicitur l. 4. n. 1480. Et similiter posset quis se voto obligasse ad sequenda probabiliora aut etiam tutiora, neque ideo ad hoc tenerentur alii.

Obji. 10. Secundùm hanc sententiam licebunt 361
omnia scelera, quia pro omnibus invenietur aliqua opinio probabilis; sic probabiliter judicare poterunt,

Adam, legem Dei esse pœnalem tantùm, adeoque non obligare in conscientia, aut non obligare sub mortali, quia materia esset levis; *Eva*, præceptum odiosum ad se non extendi, quia ante ejus creationem latum erat:

Saul, se posse parcere Regi Amalec, quia erat conforme misericordiæ; item gregibus opimis, quia erant pro sacrificio:

Roboam sequens sententiam Juniorum ætate sibi æqualium, tum autem erat annorum quadraginta & unius:

Judæi sequentes sententiam Scribarum & Phariseorum & totius multitudinis contra Christum:

Pilatus eosdem sequens; maximè cum audiret Judæos habere legem, secundùm quam deberet mori:

Ethnici & Hæretici omnes sequentes sententiam Majorum & Doctorum suorum, maximè cum nunc etiam tot videant esse ejusdem sensûs & religionis, ita *Sinnich. Mercor. Gonet & alii.*

R. n. seq., quia certum est non dari opiniones verè probabiles pro omnibus sceleribus, fides enim docet multa prohiberi velut illicita, & habemus moralem evidentiam de multis in se illicitis; Item moralem certitudinem de multis præceptis has vel illas actiones prohibentibus, ergo non potest esse probabile, quòd illa sint licita.

Adamo & Eva certum erat, quòd præceptum

obligaret in conscientia & quidem graviter, uti ostendit *Bellarmin.* T. 4. l. 3. de amiss. gratiæ c. 6., hinc *Gen.* 3. v. 3. dicit *Eva*, *præcepit nobis Deus*, *ne comederemus*: & ex poena colligebat gravitatem præcepti, nam addit, *ne fortè moriamur*: ideoque etiam *S. Aug.* I. *Petr.* c. 15. ait, *Adam simul & Eva scientes fecerunt contra præceptum*, quia nempe in eis fuit scientia infusa, ita ut *S. Th.* de verit. q. 18. a. 6. putet pro statu innocentiae nullam in eis fuisse opinionem. *Nec obstat*, quod *S. Aug.* de *Eva* dicat, *maximâ libertate habens prohibitionum rumpere delectata*, *probabilius existimans non esse mortem, quam timuerant securam*, nam, hoc ipsum pugnat contra sententiam de sequenda maiore probabilitate; rectè autem hoc exponit *S. Th.* ad 5, *Adamum & Evam* jam priùs peccasse per elationem animi, & ideo hoc eis visum probabilius, errore scilicet culpabili & vincibili. Videri potest *Esp.* in app. a. 3. & seqq.

Saul scivit clarum præceptum Dei, dicitur enim *1. Reg.* 15. v. 3. *demolire universa eius, non parcat ei*: hinc v. 24. dixit, *peccavi, quia pravaricatus sum sermonem Domini & verba tua*, *timens populum & obediens voci eorum*: videri potest *Esp.* a. 10. & seqq.

Roboamum peccavisse non dicit Scriptura, sed *3. Reg.* 12. refert dispositionem illam ad Dei providentiam: egit tamen imprudenter sequendo consilium minus tutum, in casu, quo periculum damni non poterat removere bona fides aut ignorantia invincibilis.

Iudeos convincebat evidentia miraculorum, vita inculcata Christi, nota Scribarum & Phariseorum invidia, si tamen his non obstantibus aliqui invincibiliter errarunt, non peccarunt.

Pila.

Pilatus scivit, quòd per invidiam tradidissent eum, uti habetur *Matt. 27. v. 18.*

Ethnici aut *Hæretici* materiales dari possunt saltem ad breve tempus: quòd si dubitare incipiant, tenentur inquirere, & adhibitâ morali diligentia in expendendis signis veræ fidei & notis Ecclesiæ Christi, agnoscent certitudinem fidei nostræ & parva fundamenta suæ: unde cùm in iis, quæ sunt de necessitate mediæ, non juvet ignorantia invincibilis nec bona fides, statim tenebuntur admittere fidem nostram tanquam unicè tutam: alia omnia sunt in eo, qui sequitur minùs probabilem, nam adhibitâ morali diligentia non potest deprehendere veritatem, & ipsum excusat bona fides cum ignorantia invincibili, cùm hæc removeant periculum peccati formalis.

Inst. Saltem plus poterunt Auctores Probabilistæ, quàm Deus, Ecclesia aut Papa, nam priores possunt auctoritate suâ interveniente facere, ut utraque pars contradictionis sit practicè probabilis, hoc autem non possunt Deus, Ecclesia aut Papa. *R. 1.* Idem valet contra Probabilioristas, item contra omnes, qui dicunt esse licitum operari ex ignorantia invincibili, nam horum auctoritas facit esse licitum, quòd sæpe secundùm se est illicitum. *R. 2.* Plus poterunt secundùm quid & per accidens, ratione suæ fallibilitatis & ignorantia invincibilis, c, & hoc debent omnes fateri: plus poterunt absolutè & per se, Deus propter suam perfectionem, Ecclesia & Papa propter assistentiam Dei non possunt dicere aliquid esse honestum, quòd honestum non est, quòd nos ex defectibus humanis possumus, videri potest *Teril. in Reg. q. 14. à n. 36.*

Obj. 11. In foro externo decidi debet à iudice pro parte probabiliore, ergo & in interno, in quo ratio

tio est Judex, materia litis est existentia legis, Deus & homo sunt partes disceptantes, Deus enim stat pro lege, homo pro libertate, ergo si pro lege sint majores rationes, debet pro Deo decidi, ita *Eliz.* l. 1. q. 15 & *Gonz.* d. 4. à n. 25. *Conf.* 1. Quia forum internum non debet discordare ab externo, nisi certò sciatur errorem vel ignorantiam intervenire: *Conf.* 2. Quia in foro externo tantum est periculum lædendi jus hominis circa temporalia, in interno periculum est lædendi jus Dei & propriam conscientiam, estque absurdum certiore regulam requirere pro rebus levioris momenti. *R.* n. conseq., obligatio Judicis pro foro externo aliunde rescitur, uti dicemus l. 4. n. 1480, eam autem obligationem acceptat Judex cum suo officio, nihil simile est pro foro interno: & ratio ulterior est, quia qui pro foro interno eligit opinionem faventem libertati, respicit se ut possessorem, ergo rectè sibi adjudicat, quia ubi adest ratio probabilis, prævalet ritulus possessionis etiam contra probabilitatem majorem oppositam, uti omnes communiter fatentur; è contrà Judex in foro externo neutrum respicit ut possessorem, alioquin deberet possessori adjudicare. Adde etiam falsò dici, quòd Deus stet pro lege contra libertatem hominis, dicimus enim Deum assistere libertati, & in eis circumstantiis non esse legem operandi secundum probabiliora. *Ad Conf.* 1. forum internum debet conformari externo, si eadem sint circumstantiæ, id autem non est semper, nam externum, v. g. præsumit debitorem esse solvendo, hinc non admittit juramentum negantis, sed dat locum distractioni bonorum, è contrà in interno datur locus dilationi: & idem est in pluribus aliis casibus, in quibus potest internum discrepare ab externo, videri potest *Tr. ril.* q. 20. à n. 28. *Ad Conf.* 2. n. esse periculum lædendi

dendi jus Dei, cum nos non obligat; vel lædendi conscientiam, cum absit periculum peccandi: Item n. regulam conscientia non esse sufficienter certam, uti constat ex dictis à n. 342.

Obj. 12. Si sim v. g. Medicus, Charitas erga proximum obligat me, ut sequar pro ipsius bono magis probabilem, ergo etiam Charitas erga Deum, ut pro ejus honore sequar faventem legi. R. 1 Charitas erga proximum obligat, ut sequar magis tutam etiam contra probabiliorem, v. g. ne explodam, si probabile sit esse hominem, licet probabilius sit esse feram, ergo etiam Charitas erga Deum obligabit, ut semper sequar magis tutam, quod plerique ex adversariis negant. *R. 2* n. conseq., pro obligatione illa Medici habemus aliunde certitudinem, uti dicitur l. 4. n. 1534., pro altera obligatione non affertur sufficiens fundamentum.

Q. 45. An sit licitum operari secundum opinionem tenuiter vel dubie tantum probabilem. R. 366

§. I. Non est, per se loquendo, licitum operari secundum opinionem tenuiter tantum probabilem, nam Innoc. XI. damnavit hanc 3. propositionem, *Generatim, cum probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*: Ratio est, tum quia tenue motivum non est prudens nec dignum assensu viri prudentis, & illi oppositum communiter est certum, tum etiam quia quando est ejusmodi tenue motivum, non potest tolli dubium practicum, operari autem cum dubio practico est peccatum, ergo. *Dixi*, per se loquendo, nam in gravissima necessitate, & quando opinio tutior non posset reduci ad praxin, licitum esset operari secundum opinionem tenuiter probabilem, neque hoc ab *Inn. XI.* damnatur, uti rectè notat *Carden.* 126

den. in 2. crisi d. 4. c. 7., quia necessitas gravissima quodammodo auget probabilitatem, facit enim, ut omissio operationis sit moraliter impossibilis, ergo pro eo casu opinio sit sufficienter probabilis in ordine ad tollendum dubium practicum.

367 §. II. Non est licitum sequi opinionem dubiè probabilem, ita *S. Th. Med. Carden.* in 1. crisi d. 58. c. 3. dicens esse certissimum. Ratio est, quia qui dubitat de probabilitate opinionis, versatur in dubio practico, & consequenter dubitat, an licitum sit ex illa opinione operari, ergo si operetur cum illo dubio, formaliter peccat, cum se exponat periculo formaliter peccandi: deinde, ut quis dubitans licitè operetur, debet prudenter deponere dubium, & tum sibi formare conscientiam, non potest autem prudenter deponere dubium, nisi propter motivum saltem probabile, quod hic non habet, cum dubitet, an sit probabile necne, ergo.

Ex his constat Camargum l. 2. controv. 2. male inferre, ex hoc, quod damnatur praxis opinionis tenuiter tantum probabilis, etiam damnari praxim opinionis certò probabilis, Nam patet disparitas et dictis. Rectè tamen dicit à n. 51. opinionem, de qua dubitatur, an sit damnata, non esse tutam in praxi, quia quamvis sit in anteriore possessione non damnationis, ideoque non possit absolutè dici damnata, tamen nunc est dubiæ probabilitatis, & dubium est, an non sit perniciofa in praxi, ergo illicitè ad praxim deducitur.

368 Q. 46. An licitum sit sequi sententiam, qua probabiliter tantum est probabilis. R. Negant *Teril.* in Reg. q. 23. n. 23. *Lumb. & Filg.* apud *Carden.* in 2. crisi d. 4. c. 2. & alii, quia talis opinio videtur esse tantum tenuiter vel dubiè probabilis. è contrà affirmant *Tambur.* in Decal. l. 1. c. 3. §. 3.

n. 8. *Ills. Banholtz. Arsd. T. 2. p. 2. tr. 1. c. 2. §. 5.*, quia dicere esse probabiliter probabilem idem est ac dicere, quod omnibus expensis possit prudenter judicari pro ea esse gravem rationem, & consequenter, quod pro ejus veritate sit grave motivum, adeoque vix discrimen erit inter opinionem certò, & probabiliter tantum probabilem: v. g. si homo ignarus consulat doctum Theologum, quod hic resolvet, erit illi tantum probabiliter probabile, cum ipsemet non capiat fundamenta, & tamen, inquit, rectè format sibi conscientiam secundum responsum illius Theologi: idem dicunt de opinionibus, quæ probabiliter tantum inferuntur ex aliis certò probabilibus: Rationem à priori dant, quia ubi opinio est probabiliter probabilis, æquè potest formari dictamen ultimum certum, atque ubi est certò probabilis, potest enim dubium prudenter deponi propter rationem probabilem, sicque judicare poterò probabile esse, quod opinio illa sit probabilis, ergo non amplius dubitabo de probabilitate illius opinionis, dubium enim est suspensio omnis assensus, ego autem hic habebò assensum: unde etiam moment hic bene distinguendum esse inter formidinem & inter dubitationem, quamvis enim opinio probabilis habeat adjunctam formidinem, non ideo est dubitatio, cum adsit assensus: addunt rationem à posteriori, quia si teneremur semper examinare, an opiniones directæ, quas sequimur, essent certò probabiles, induceremur in infinitos scrupulos. Hæc sententia est probabilis, in quæstione tamen de nomine malo absolute dicere opinionem, secundum quam formatur conscientia, debere esse certò probabilem, ne quis se periculo exponat formandi conscientiam secundum opinionem tenuiter vel dubiè tantum probabilem.

369 Q. 47. *An licitum sit sequi opinionem extrinsecè tantùm probabilem.* R. Negative, implicat enim ut opinio sit probabilis ab extrinsecò, si ab intrinsecò sit improbabilis, neque probabilitas extrinseca datur, nisi probabilitas intrinseca saltem præsumatur adesse, uti rectè Carden. in I. crisi d. II. n. 262. & d. 69. n. 6. Ratio est, quia numerus Auctorum non facit, ut opinio censeatur conformis rectæ rationi vel voluntati Dei, neque etiam semper reddit probabilem, ut à n. 136. ostensum est, sed hoc facit natura objecti, quam sic se habere suadet nobis motivum ab intrinsecò, si prudens sit, hinc Stoꝝ l. 1. p. 5. n. 100. ait, *si mille AA. in unam sententiam conveniant nullâ ratione nixi, nulla ex hoc capite generatur probabilitas, neque credendum est illis*: ideoque etiam Carden. d. 58. n. 9. & Lupus apud Sanchez de matr. l. 3. d. 44. n. 3. dicunt, *non est credendum Doctõribus quantumcumque doctrinâ polleant, dum carent fundamento*: similiter S. Hieronymus, uti refertur Cap., ego solis, dist. 9. ait, *alios autem ita lego, ut quantumlibet sanctitate quantumve doctrinâ polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios Auctores vel Canonicas vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorreat persuadere poterunt*: Communiter tamen prudenter præsumi potest, quòd adsit probabilitas intrinseca, ubi multi AA. etiam nunc aliquam opinionem tenent, hi enim non assèrent temerè sed ob rationes inventas; ideoque Sporer n. 39. rectè notat aliquem posse tutò sequi opinionem communem, nisi fortè unus secutus fuisset alterum, uti ovis ovem, quod quandoque fit, aut nisi viro docto occurreret firma ratio non animadversa ab aliis, quæ probaret oppositum, tum etiam teneretur magis inquirere, & ratio

rationes inter se conferre, ac videre, an opinio maneat probabilis: imò quamvis admittam hominem indoctum posse tutò procedere, hoc ipso quòd sciat opinionem etiam nunc doceri à viris probis & doctis, homo tamen doctus, qui potest examinare rationes intrinsecas, non videtur tutò posse procedere, nisi examinet illas, vel prudenter præsumat etiam in hac materia ab illis aliis examinatas esse, Ratio est, quia hic potest examinare & discutere, quid in re videatur verum necne, ergo si non faciat & fortè erret, errat errore vincibili & culpabili, ergo non excusatur, hinc *Teril.* in Req. q. 29. n. 90. rectè ait, *si viro valde docto solum representetur, quòd plures teneant utramque partem contradictionis, non illico tutus erit. si selectetur partem minus tutam. sed vel scire debet qualitatem Doctorum eam tenentium, ut sic sine ulteriori investigatione eorum sententiam in conscientia regulam licitè accipiat, vel ipsemet tenebitur rationes investigare, ut nil agat, nisi illud rationi congruum esse noverit: quòd si examinatis utrimque rationibus necdum appareat veritas, sed utraque pars pro se habeat grave motivum, sequi potest, quam volet, nam si erret, excusat eum invincibilis ignorantia, uti sæpe est dictum.*

Q. 48. An liceat hanc & oppositam sententiam probabilis sequi in eadem materia. R. 370

§. I. *Caramuel* dicit probabile esse, quòd aliquis semper possit, sed hunc rectè confutat *Cressp. à Borgia* q. 9. *Tambur.* in Decal. l. 1. c. 3. §. 5. dicit licere, dummodo probabilitas opinionis non pendeat immediatè à nostra voluntate, quandonam autem probabilitas pendeat vel non pendeat à nostra voluntate, non satis clarè explicat.

§. II. *Bardi* disc. 4. c. 14. *Sporer* n. 35. meliùs dicunt non licere, si lex aliqua occurrat, cujus obligatio 371

gatio fit certa, & quæ post assumptam alteram sententiam probabilem impleri non possit, in hoc enim casu obligatio legis alicujus certæ eluderetur, v. g. si horologium A sonet undecimam noctis & horologium B, medium undecimæ, supposito quòd utrumque horologium communiter bene dirigatur, probabile erit prius esse medium undecimæ, hinc aliquis volens sequi horologium B: adhuc per horam integram licite differet vespas, postmodum autem auditâ duodecimâ in horologio A, si secundum hoc vellet se dirigere & judicare, quòd transierit duodecima, adeoque non amplius obligetur orare vespas, patet hoc non licere, quia lex de orandis horis est certa, & illius impletio impeditur assumendo alteram partem probabilem: idem est, si die Sabbati auditâ in uno horologio 12. comedas carnes, & quia in altero necdum audita est, ideo velis te reputare jejunum & in Dominica communicare, cum enim certum sit alterutrum horologium errare, etiam certum est te unum præceptum transgredi, vel abstinentiæ à carnibus, vel jejunii pro communionem, ergo id non est licitum: è contrà si lex vel ejus obligatio non sit certa, aut assumptâ alterâ opinione possit nihilominus lex utraque adhuc impleri, dicunt licitum esse mutare, v. g. si probabile sit vectigal esse injustè impositum, & etiam probabile, quòd sit justè impositum, si simul sis & exactor vectigalium & mercator, dicunt se posse hoc vectigal ab aliis exigere veluti justè impositum, & tamen te ipsum non teneri solvere tanquam injustè impositum, quia cum dubitetur de justitia vectigalis, lex illud imponens non est certa, tenebitur tamen inquirere, & si compererit fuisse justè impositum, poterit adhuc & tenebitur compensare, si autem compererit fuisse injustè impositum, tenebitur, si
adhuc

adhuc habet, restituere eis, à quibus exegit: plures
ejusmodi casus afferunt *Cressp. supra & Gob. de Sa-*
crif. à n. 206.

§. III. *Lugo de Euch. d. 15. à n. 46. Esp. de act.* 372
hum. q. 23. ponunt hanc regulam universalem: nun-
quam licitum est mutare opinionem semel electam,
si hoc foret certò in præjudicium alicujus legis, quæ
per ejusmodi mutationem violaretur, quia singulæ
leges habent jus certum, ne fraudentur, ergo etiam
ne regula operandi semel electa mutetur in manife-
stum sui præjudicium, ideoque sic eligens unam
partem obligat se implicite ad illam non mutandam
in præjudicium legis.

§. IV. *Hann.* docet etiam non esse licitum eo- 373
dem tempore usurpare utramq; opinionem in præ-
judicium tertii, uti fieret, si per testamentum non
solenne scriptus hæres, velles hæreditatem retinere,
utens eâ opinione, quòd testamentum non solenne
valeat pro foro conscientia, & tamen nolles solve-
re legata, sequendo sententiam, quòd testamentum
sine solennitate sit invalidum, sic enim certò agis
contra jus unius, vel alterius hæredis ab intestato,
vel hujus Legatarii: Quòd si antehac processisses se-
cundùm sententiam requirentem solennitates, & po-
stea procederes secundùm sententiam non requiren-
tem, non esset eadem ratio, nam supposito facto pri-
mo, quod infectum fieri non posses, non amississes
potestatem te conformandi alteri sententia, pro alio
tamen casu, nam fortè jam posita est transgressio legis
per primũ casum, & ita secundus erit secundùm legẽ,
sicuti si heri judicans priorem sententiam probabi-
liorem processisses secundùm illam, hodie si occur-
rente nova ratione judicares posteriorem esse proba-
biliorem, utique posses dimissã priore sequi poste-
riorem, uti fatentur omnes.

Objs.

374 *Obji.* Saltem non potero uni suadere priorē sententiam & alteri posteriorem, quia certum erit unam legem naturæ ab alterutro violandam. *R.* Idem solvendum esse omnibus, nam tu dicis te tene-ri suadere, ut omnes sequantur hoc, quod iudicari esse probabilius; pone itaque unum iudicare, quod probabilius sit tale testamentum valere, alterum autem iudicare probabilius esse, quod non valeat, tu utrique te consulenti suadebis, ut suam quisque opi-nionem sequatur, utpote probabiliorē, ergo certò alterutri suades transgressionem legis naturæ. *R.* cum *Carden.* in 1. crisi d. 56. n. 1152., non licebit sua-dere in- & pro eodem tempore, transeat pro diversis tempore, n. posito enim actu secundum unam sen-tentiam, fortè jam posita est transgressio legis, quam transgressionem nunc impedire non possum, nec ampliùs certum est violandam ullam legem, ergo manet jus secundum alteram sententiam ponendi & suadendi actum oppositum, qui probabiliter erit conformis legi.

375 *Q. 49.* An licitum sit operari secundum opinio-nem alienam, quam tamen operans iudicat re ipsam esse falsam. *R.*

§. I. Certum est non licere, si iudicet opinionem aliorum ita esse falsam, ut propterea etiam censeat objectum illius hìc & nunc sibi esse illicitum poni, talis enim non operaretur *ex fide*, sed contra con-sciantiam.

376 §. II. Etiam non licet, si iudicium, quod habes de falsitate, sit absolutum & ultimum, ita ut velit procedere ex solo iudicio alieno, non formatà sibi suà conscientia: neque tum licet, si opinionem illam iudicet esse ita falsam, ut non censeat esse verè & cer-tò probabilem: ideoque correptione dignus est *Machado*, inquit *Carden.* in 1. crisi d. 56. n. 1169. dicens id

id etiam tum licere, pro quo etiam falsò citat multos Auctores: & de his catibus intelligendi sunt *Sanch.* in *Decal.* l. I. c. 9. n. 19. & 42 *Castrop.* d. 2. pu. 2 n. 4. *Vasq.* d. 62. c. 3. *Bardi* disc. 4. c. 16. *Teril.* hìc q. 30., quando dicunt non esse licitum sequi opinionem, quam operans putat esse falsam.

§. III. Si quis iudicet opinionem alienam esse probabilem, quamvis videatur esse falsa, ideoque spectatis principiis directis usus illius videatur esse illicitus, si tamen de hoc certus non sit, valde probabile est, quòd ex principiis reflexis possit sibi formare prudens dictamen, & secundùm eam opinionem operari, dicendo, *judico quidem opinionem illorum esse falsam, quia tamen hoc mihi incertum est, & Auctores me Sapientiores, qui opinionem possunt reddere certò probabilem, dicunt illam esse veram, ego quoad hanc operationem me accommodabo illis, & interea præscindam à directà opinione meâ;* ita absolutè tenent *Azor, Vasq. Less. Valent. Salas, Bonac. Sot. Bann. Serrar. Bardi, Tann Sanch.* n. 14. *Teril.* in *Reg.* q. 22. q. 35. à n. 12., clarissimè q. 46. n. 6., aliique plurimi & gravissimi Auctores cum *Illf.* t. I. d. 1. a. 6. §. 5. & *Mendo* in *Stat.* d. 13. q. 15. Est autem contra *Schild.* tr. 2. n. 25. *Elix.* l. I. q. 17. & l. 3. q. 12. & 13. *Essarf.* in app. a. 143. *Erentbr.* a. 3. *Carmargo* p. 1. l. I. cont. 8. à n. 56. *Ratio* nostra est, quia nulla lex prohibet mihi operationem, quam judico esse probabiliter bonam, sed operationem illam judico esse probabiliter bonam, quia scio illam à viris gravibus doceri esse absolutè bonam, quorum ego opinionem judico esse absolutè probabilem, ergo nulla lex eam mihi prohibet, ergo mihi est licita. *Conf.* 1. nam ita passim legimus apud gravissimos Auctores, qui quamvis teneant unam partem tanquam absolutè veram, (qui consequenter dicunt opposi-

oppositam esse falsam) tamen sæpe expressè addunt
oppositam esse etiam probabilem & in praxi tutam.
Conf. 2. quia fieri potest, ut aliorum opinio, quam
directè judico falsam, re ipsa sit probabilior & com-
munior quàm mea, ergo non est, cur illam sequi
non possim suspensâ vel non attentâ tantisper meâ.
Conf. 3. nam sæpe debemus seponere opiniones
nostras, & nos in operando accommodare alienas,
v. g. Superiorum, uti dicitur à n. 432., item poenit-
entium, uti etiam dicitur à n. 443., quamvis
istas illorum opiniones judicemus re ipsa esse falsas
similiter prudentis est, non nimium stare iudicio
proprio, sic enim etiam Principes sapientissimi con-
sultant iudicio Consiliariorum contra proprium &c.

Reponit Camargo suprâ, non posse formari iudicium reflexum, quòd v. g. contractus sit licitus, si adlit vel adesse possit iudicium directum, quòd sit illicitum. *Sed* oppositum constat ex dictis à n. 313, & constabit iterum ex statim dicendis, nam licet ego iudicem esse illicitum, hoc judico cum incertitudine & formidine, ac tantum velut probabilius, sciens alios, quos censeo sapientiores quàm me, iudicare tanquam probabilius, quòd sit licitus; cur ergo non possim sequi illorum iudicium? nisi fortè velim solus sapere. Rectè dicit *S. Greg. Naz.* Orat. 26. *Non me sapientior sit, quàm conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior, nec precepto divino sublimior: Verbo, ubi Deus legem non posuit, nec nos ponamus.* Vide dicta à n. 352. in fine.

378 *Dixi*, valde probabile esse, nam non est opus hoc defendere, sed satis est dicere, quòd liceat sequi opinionem, de cuius probabilitate scitur, & de cuius falsitate absolutè ferri non potest iudicium, quòd ratio etiam fieri potest, uti fatetur *Esparf. a. 152.*

Obji. 1.

Obj. 1. S. Th. contra Gentes c. 18. ait, falsa opinio ita se habet in eligibilibus, ut vitium virtuti oppositum in moralibus, sed operari ex vitio est illicitum, ergo etiam operari ex falsa opinione. R. 1. Ergo etiam operari ex opinione probabiliore, si res ipsa falsa sit. R. 2. Loquitur de opinione, quæ agnoscitur esse falsa & improbabilis.

Inst. 2. 2. q. 17. a. 2. dicit S. Th., homo in iis, quæ ad propriam personam pertinent, debet formare conscientiam à propria scientia, ergo non potest sequi opinionem purè alienam. Conf. nam idem S. Th. quodl. 3. a. 10. ait, In his, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur ex alterius asserto. Consonat S. Chrys. hom. 13. in Epist. 2. ad Corinth., ubi ait, quomodo non absurdum est propter pecunias aliis non credere sed ipsas numerare ac supputare, pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? . . . & ideo obsecro & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur, de quibus à Scripturis omnia inquirete. Huc etiam spectat illud Apostoli 2. ad Corinth. c. 1. v. 12. gloria nostra hæc est testimonium conscientia nostra, non dicit, alienæ. R. n. consequ., per hoc enim format conscientiam à propria scientia, quod sciens opinionem alienam esse probabilem, inde sibi format dictamen ultimum reflexum de licito usu illius opinionis. Ad Conf. S. Th. tantum vult requiri, ut quisque sibi conscientiam formet, & non sistat in dicto alieno, uti n. 376. dictum est. S. Chrys. loquitur ibi de præcepto elemosynæ, nec intelligi potest, nisi de illis materiis, in quibus quisque potest ipsemet acquirere directam certitudinem, quam in probabilibus utrimque non possumus acquirere, sed tantum reflexam, quam habemus etiam sequendo sententiam alienam. Ad Apostolum, patet ex dictis ad Instantiam.

○

Obj. 2.

381

Obj. 2. Sic operans agat contra suam conscientiam. *R. n. aff.*, quamvis enim agat contra suam opinionem directam, non tamen contra conscientiam, quia contra hanc agere, est facere, quod aliquis hic & nunc per ultimum dictamen practicum judicat esse illicitum, quod hic non facit: è contra agere contra opinionem sed secundum conscientiam, est agere id, quod quidem spectatis principiis directis probabiliter putat esse illicitum, certò tamen per principia reflexa judicat hic & nunc sibi esse licitum. videri potest *Carden* in 1. crisi d. 66. à n. 341.

382

Inst. 1. Qui operatur secundum aliquam opinionem, debet judicare ejus objectum esse licitum, sed qui de facto judicat opinionem alienam esse falsam, non judicat ejus objectum esse licitum, ergo *prob. min.*, qui de facto judicat hoc objectum esse illicitum, nullo modo, nequidem ex diverso motivo judicat esse licitum, illa enim duo judicia sunt absolute impossibilia, uti assensus & dissensus circa idem, licet diversa sint motiva, atqui ille, qui judicat opinionem alienam esse falsam, ille de facto judicat hoc objectum esse illicitum, opinio enim aliena dicit esse licitum, ergo cum ipse judicet opinionem illam esse difformem objecto, judicat objectum non esse licitum, ergo judicat esse illicitum, ita *Eventbr R.* Qui operatur secundum aliquam opinionem, debet judicare per principia reflexa ejus objectum esse licitum, c. spectatis præcisè principiis directis, subdist., debet hoc judicare semper formaliter, id est, debet actu semper elicere judicium directum de eo, quod objectum ejus sit licitum, n. & patebit falsitas ex dicendis à n. 387., debet hoc judicare saltem fundamentaliter sive æquivalenter, c: maj., & similiter distinctâ min. n. conseq., nam licet de facto directè judicet objectum illius opinionis esse illicitum, tamen

tamen fundamentaliter & æquivalenter etiam judicat esse licitum, quia scit suum iudicium esse incertum, & dari grave motivum pro iudicio opposito, quod etiam ipse habere posset in sensu diviso hujus, quod nunc habet, posset enim hoc iudicium deponere & assumere alterum, uti dicitur à n. 414., aut fieret id hic & nunc non posset, tamen scit illud aliorum iudicium etiam esse prudens, cui etiam possit se conformare, ideóque potest reflexè iudicare sibi licere illud sequi: neque illud iudicium directum & reflexum opponuntur, nam directum non dicit objectum esse absolutè illicitum, sed tantum dicit esse illicitum spectatis præcisè principiis directis, reflexum autem dicit esse absolutè licitum propter principia etiam reflexa, quæ superveniunt, uti n. 377. dictum est.

Inst. 2. Sicuti cuique homini sua conscientia est 383
data pro regula ultima, ita etiam data est cuique sola sua ratio pro regula remota in ordine ad formandam sibi conscientiam, ergo quisque tenetur sibi formare conscientiam secundum rationem propriam, ergo non secundum alienam, ita *Eliz.* in app. q. 9. § 3. *R.* n. antec., quod si verum esset, nullus homo posset sibi formare conscientiam ex iudicio Superiorum, Consiliariorum & quorumcumque prudentiorum virorum contra iudicium proprium, quod esset velle, ut quivis ex proprio cerebro omnia ageret, quod imprudentis est: unde faciendum, quod prudentia & ratio aliena meritò possit nobis esse pro regula objectiva, primæ regulæ æternæ subordinata, ex qua per propriam rationem ultimò practicam nobis prudenter formemus regulam formalem & conscientiam proximè dirigentem ad honestè operandum.

Inst. 3. Ergo licet sciam opinionem alienam esse 384
falsam,

falsam, si simul sciam ab aliis adhuc reputari tantquam probabilem, potero secundum eam operari, ita *Auctor Synopsis* n. 119. R. n. seq., hoc ipso enim, quod de fallitate opinionis sum certus, elisa est apud me probabilitas illius, non item, si tantum opiner esse falsam.

385 *Inst.* 4. Qui etiam opinative iudicat sententiam aliquam esse falsam, ille iudicat motivum illius esse falsum & fallax, ergo non potest iudicare motivum illius esse solidum & grave, ergo nec iudicare potest esse probabile. *Conf.* Quia ratio illa non potest respectu mei esse solida & firma, de qua verisimilius mihi est, quod sit falsa & fallax, ergo, ita *Gonz.* d. 1. n. 14. R. Dist. ant. ille iudicat hoc certo, n. ille iudicat hoc probabiliter, c. antec., & idem dico ad primam seq., n. autem absolute secundam, quamvis enim sibi videatur falsum & fallax, non solidum & non grave, tamen scit aliis videri aliter, quorum auctoritas, uti & probabilitas motivi, non eliditur per hoc incertum iudicium vel motivum ipsius, uti supponimus, ergo. *Ad Conf.* n. ant., quod ex dictis patet esse falsum.

386 *Obi.* 3. Si in agendo possim sequi opinionem alienam, ergo etiam in loquendo, ergo potero dicere, quod puto esse falsum, si sciam alios putare esse verum, ita *Eliz.* R. n. seq., quia mendacium est loqui contra mentem suam, dum enim loquor, profiteor me interne habere mentem illam, ergo si non habeam, mentior: nihil simile est in operante secundum opinionem alienam, nam non dicit objectum secundum rationes directas esse verum, sed tantum dicit esse licitum secundum rationes reflexas, quas habet, & propter quas operatur secundum eam opinionem, quam absolute censet probabilem.

387 Q. 50. An, ut aliquis licite operetur secundum aliquam

aliquam opinionem probabilem, necesse fit hanc opinionem directam elicere vel actu habere, v. g. an ad hoc, ut me licite resolvam ad pingendum die festo, necesse fit me judicare, quod pingere non sit servile, an verò è contrà satis fit, quod sciam & tantum reflexè judicem, probabile esse, quod pingere die festo non sit servile. *R.* sufficere iudicium reflexum de probabilitate iudicii directi, si eliceretur, ita docent plurimi cum *Carden.* in 1. crisi d. 15. à n. 247. *Teril.* in Reg. q. 1. n. 11. q. 2. n. 19. q. 52. assert. 4. Hinc *Moya* in app. ad tr. de op. prob. q. 7. n. 38. 39. testatur communem probabilistis: *Fagn. & Gonz.* d. 9. n. 2. dicunt esse ita communem inter Auctores benignos, ut in ea conveniant Theologi hujus temporis ferè omnes: est autem contra *Ess.* in app. a. 140. *Gonz.* d. 2. §. 2 & seqq. d. 7. n. 47. d. 8. n. 14. d. 11. à n. 1. iterumque à n. 34. *Ratio* nostra est, quia habito iudicio certo de probabilitate practica alicujus opinionis, prudenter operor secundum illam, esse enim practicè probabile & esse licitum hic idem sunt, atqui possum habere iudicium certum de probabilitate practica alicujus opinionis, quamvis ei non assentiar, uti ostensum est à n. 237. & 375., ergo. Rationem à priori suggerit ipsemet *Ess.* a. 137. his verbis, *quia motivum intellectus ad opinandum est idem & cognoscitur aequaliter, dum sumus in actu primo opinandi & cum jam opinamur de facto, opinamur enim ex eodem motivo, quo constituimur potentes opinari, nec cognoscimus illud magis, dum opinamur actu, quam jam præcognosceretur ab opinaturis: infero, ergo sive eliciam actum opinionis sive non, idem æquivalenter est ex parte intellectus: infert *Ess.* ibidem, necesse igitur est, ut discrimen inter opinandum & opinantem revocetur, tanquam ad primam radicem, ad actum voluntatis, quo præ-*

eligitur, præamatur ac imperatur opinio, in quam erumpimus de facto: hoc autem semper est in libertate voluntatis, ergo siue actu eliciam opinionem siue non, planè nihil ad rem facit. *Conf.* nam ut operer secundùm sententiam, quam certò scio esse probabiliorem aut certam, non est opus hoc ipsum iudicium probabilius aut certum actu elicere, sed satis est me iudicare reflexè, quòd sententia, secundùm quam volo operari, sit probabilior aut certa, uti nemo videtur negare posse, ergo similiter ut operer secundùm sententiam, quam certò scio esse probabilem; hac enim probabilitate supposità superveniunt pro formando ultimo iudicio pratico rationes reflexæ, quas dedimus n. 312.

388 *Obji. 1. S. August. contra Academ. l. 2. c. 11.* clarè contradicit, his verbis, *Id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum siue assensione potest invitare, siue assensione autem dico, ut quod agimus, non opinemur verum esse, aut nos id scire arbitremur, operemur tamen.* R. Academici dicebant non esse opus ullum iudicium formare, sed satis esse hoc agere, ad quod agendum invitarent sensus vel objecta menti proposita, & hos confutat *S. Aug.*, quia sic licerent omnia scelera, cum ad ea nos invitent sensus & delectatio menti objecta: nos ad prudenter agendum prærequirimus iudicium certum de probabilitate opinionis, & præterea ultimum iudicium practicum absolute enuncians hoc vel illud esse licitum.

389 *Inst.* Non assentiri illi, quod sequor, est non probare illud, quod sequor, sicuti assentiri est illud probare seu approbare, atqui *S. Aug.* de util. credendi c. 11. vult probari hoc, quod quis sequitur, ait enim, *quomodo est illud, quod sequuntur, si non probant, probabile?* ita *Gonz.* R. 1. Ergo nec possum sequi illud,

illud, quod scio esse probabilius vel certum, nisi actu positivè assentiar. *R. 2. S. Aug.* agit contra Academicos, qui de nullo ferre volebant iudicium, & rectè ostendit debere illos saltem iudicare id esse probabile, secundùm quod agunt, quod iudicium etiam nos requirimus.

Obji. 2. S. Th. Sæpe dicit ad licitè operandum **390** requiri, ut priùs diligenter inquiratur veritas, secundùm quam determinare possim, an aliquid sit licitum necne, hoc autem non est verum in sententia benigna, nam in hac satis erit scire, aliquid esse probabile, sive cognoscat veritatem eique assentiat, sive non, ita *Gonz. c. I. R. n. subf.*, diximus enim n. 281. inquirendum esse in veritatem, & consideranda utrimque motiva, alioquin non poterit certò iudicari de probabilitate alicujus opinionis, nam si ex una parte agnoscat certò veritas, vel per motivum certum pro hac parte, vel per defectum omnis gravis motivi ex altera, nulla poterit asseri probabilitas, cùm hæc elidatur per motivum certum oppositum, & pro se requirat grave motivum.

Obji. 3. Operans cum dubio positivo, peccat, sed **391** talis operatur cum dubio positivo, suspendit enim utrumque iudicium directum propter rationes dubias, ergo peccat. *R.* Operans cum dubio positivo & dum operatur, in illo sistens, peccat, c, operans cum dubio positivo inspectis motivis directis, attamen formans sibi iudicium certum inspectis motivis reflexis, n, quamvis enim suspendat omne iudicium directum, tamen iudicat utrumque fore probabile, si eliceretur, & exinde format sibi iudicium ultimum, quòd secundum hanc vel illam partem licitè operetur.

Inst. Si ipsemet non eliciat assensum, tum non **392** sequitur opinionem suam, sed alienam, Deus autem

dedit cuius suum intellectum, quem sequatur.
Conf Nam opinio dicitur probabilis respectu intellectus, ergo non est probabilis respectu illius intellectus, qui eam non habet, cum respectu illius nequidem sit opinio, cum omnis opinio sit assensus, ita

Ess R. Etiam si sequar opinionem alienam, adhuc sequor meum intellectum, quia per hunc iudico opinionem alienam esse probabilem, & secundum hanc mihi formo conscientiam practicam, iudicans me licite operari secundum opinionem illam probabilem. *Ad conf.* dist. conseq., ergo non est probabilis respectu illius intellectus, qui eam non habet, nequidem objective aut æquivalenter, c, qui eam non habet elicitive & formaliter, habet tamen objective aut æquivalenter, n. conseq., hoc ipso autem habet objective, quod de illa velut objecto iudicet esse certo probabilem, & per hoc habet æquivalenter, quod agnoscat grave eius motivum, propter quod etiam elicere posset assensum, recte enim docet *Teril.* in Reg. q. 51. à n. 7. æquivalenter haberi determinationem intellectus, si adsint utrimque motiva sufficientia pro formandis iudiciis directis.

394 *Obj.* 4. Dictamen practicum de honestate actionis, non attingit honestatem formalem actionis, ergo attingit solam honestatem objectivam, ergo debet adesse iudicium de eo, quod à parte rei est honestum & verum. *Antec. prob.*, honestas formalis explicari debet per conformitatem, quam habet cum dictamine practico, ergo si dictamen practicum vicissim attingat honestatem formalem, fiet circulus, ita *Estrix* in Logistica pag. 13. R. n. ant., nam dictamen practicum attingit actionem ut conformandam legi saltem permittenti, & honestas formalis est conformitas actionis cum lege saltem permittente, per dictamen practicum proposita, in qua explanatione

tionelicet mutua fiat mentio dictaminis practici & honestatis formalis, tamen non est circulus vitiosus, sed relativum unum aliunde cognitum explicatur per ordinem ad suum correlativum, qui ordo pertinet ad eorum essentiam, sicuti causa explicatur per ordinem ad effectum, & effectus per ordinem ad causam. *Illsung* a. 2. n. 12. dicit honestatem formalem haberi, partim per cognitionem immediatè repræsentantem probabilitatem honestatis materialis, partim per objectum repræsentatum, quod est illa probabilitas honestatis materialis, ita ut dictamen reflexum non constituat, sed pro objecto habeat honestatem formalem: quidquid sit de hoc, saltem videtur admittendum, quòd honestatem formalem constituat etiam actio per dictamen reflexum directa.

Inst. 1. Si ad actionem honestam non requiratur 395 iudicium etiam de honestate objectiva & materiali actionis, explicari non poterit, quomodo conscientia speculativè erronea aliquando sit practicè vera, quia qui non iudicat, non errat. *Conf.* Nam ideo tenemur inquirere in honestatem materialem, ut de ea feramus iudicium, ita *Erentbr.* a. 1. & 2. *R.* n. seq., sæpe enim formaliter elicitur ejusmodi iudicium erroneum, & tum conscientia est speculativè formaliter erronea: quòd si formaliter non eliciatur iudicium speculativum erroneum, sed tantùm iudicium de motivo gravi & de probabilitate talis opinionis, tum adest æquivalenter ejusmodi iudicium erroneum, quia ex vi præsentis motivi prudenter elici posset, uti n. 393. dictum est. *Ad Conf.* Ideo tenemur inquirere in honestatem materialem, ut feramus iudicium vel formaliter vel æquivalenter de ea, formamus autem æquivalenter, quando iudicamus probabile esse, quòd objectum sit materialiter honestum, quia hoc iudicio habito possemus habere

habere illud formale iudicium de honestate materiali, uti sæpe dictum est.

396 *Inst. 2* Famulus hominis tenetur attendere, ne per actionem suam causet suo domino damnum etiam materiale tantum, ergo servus Dei multò magis, ne committat peccatum materiale, & ponat obiectum reipsa displicens Deo, ergo tenetur attendere, quid verè & reipsa placeat Deo, ergo & tenetur sequi illud, quod iudicare potest esse verisimilius. *R. n. ult. conseq.*, nam fatemur adhibendam diligentiam mediocrem & humanam pro dignoscenda veritate & cavèda materiali offensà Dei, majorem autem aut exactissimã dicimus esse tantum de consilio: quando autem eò pervenimus, ut sciamus non posse certò comperiri veritatem, quia nempe scimus pro utraque parte esse motiva gravia, negamus nos obligari ad sequenda verisimiliora, alioqui eodem argumento probabo nos teneri ad tutiora. Adde, quòd Deus magis velit caveri peccatum formale, quàm materiale; è contrà homo ob indigentiam & imperfectionem suam magis vult caveri damnum suum materiale, quàm peccatum formale famuli, ergo inter Deum & hominem est manifesta disparitas, quoad actionem materialiter offensivam & materialiter damnosam.

397 *Obi. 5* Sequens probabilem non formato iudicio, an sit vera aut falsa, promiscuè eligit non minus falsum quàm verum, & reipsa dicit, *quid interest, sine verum an falsum, & consequenter sine licitum an illicitum? ad hoc non teneor attendere, dummodo sciam esse probabile;* quæ dispositio animi est pessima, ita *Alfaro. R. n. totum aff.*, sic enim hoc operamur, ut non essemus hoc operaturi, si sciremus esse falsum & illicitum: nec negligimus inquirere in veritatem, sed postquam inquisivimus, & quia post inventas

inventas utrimque rationes graves certi sumus nos non posse veritatem certò rescire, dicimus licere utramque partem.

Q. 51. Si motiva utrimque sint æquè probabilia, 398
an intellectus possit per voluntatem applicari ad assentiendum huic potius quàm illi parti. R.

§. I. Si fit materia facti, Carden. in I. crisi d. 6. n. 80. dicit intellectum non posse saltem prudenter à voluntate applicari ad assentiendum alterutri parti, sed debere manere positivè dubium & suspendere omnem assensum, uti si tres dicant Petrum fuisse in foro, & alii tres æqualis auctoritatis dicant eodem tempore fuisse domi, intellectus neutri parti prudenter credet, quia hæc motiva videntur se mutuò elidere, uti pluribus contendit idem Carden. d. 41. à n. 304. Quod verum videtur, si utraque pars dicat se scire & vidisse, ob rationem datam n. 243. De cætero, si motiva se directè non elidant, uti si pars una dicat se putare, quòd fuerit in foro; & pars altera, se putare, quòd fuerit domi, habeatque utraque prudentem rationem id putandi, non elident se mutuò hæc auctoritates, uti constat ex dictis n. 263., cum fundent se in diversis rationibus bonâ fide & invincibiliter agnitis tanquam probabilibus, ergo utrumque etiam poterit mihi fieri probabile, ideòque poterit intellectus meus in hac materia facti, quod poterit in materia juris, uti rectè Banholtzer n. 14. & Tambur. in Decal. l. 1. c. 3. §. 3. n. 11., nullam enim video disparitatem. Nec obstat, quòd testes contrarii nihil probent, nam id tantùm tenet pro foro externo, in quo si plenè non probetur delictum, reputatur nullum. Conf. Nam si ex scripto soleam confiteri absque errore, legerimque peccata, uti soleo, inter quæ fuerit mendacium, prudenter iudico me illud esse confessum, quia ex communiter contingen-

tingentibus à me, est pro me prudens præsumptio, è contrà si Confessarius, qui statuerat me specialiter admonere de mendacio, dicat me illud non esse confessum, & ipse etiam non soleat circa talia errare, etiam prudeuter judicare potero me non esse confessum, quia similiter ex communiter contingentibus ab illo, est pro ipso etiam prudens præsumptio, neque hæc motiva se elidunt, sed faciunt materiam facti utrimque probabilem, ergo.

399 §. II. Saltem si sit materia juris, potest intellectus per voluntatem applicari ad assensum etiam quandoque prudentem potiùs unius quàm alterius partis, ita habet communis *Suar. i. 2. tr. 2. d. 10. l. 1. n. 5.* dicens esse *S. Thoma, Sanch. Gran. Ovied. Arr. Bress Lugo, Carden.* in 1. crisi d. 15. c. 4. a. 7. & *Teril.* hic q. 8. 9. 10. & in Reg. q. 51. *Fabri* in summ. de fide c. 2. n. 7., & consentit *Ess.* in app. a. 123., saltem si motiva utrimque non sint omnino similia & ejusdem planè rationis: Est autem contra *Az. Castrop. Schild.* tr. 2. n. 16. *Mercor. Eliz.* in app. q. 1. & seqq. *Gonz.* diff. 7. §. 3. *Ehrentr.* a. 11. *Camargo* p. I. l. 1. cont. 5. *Probat*, nam ipsa voluntas potest prudenter inter bona æqualia eligere hoc præ illo, uti cum communi suppono ex Philosophia, & videtur probare experientia, si enim videam duo ova, quamvis per simplices affectiones non magis ferar in unum quàm alterum, tamen, ne utroque caream, possum pro mea libertate eligere hoc præ illo, ideo solùm, quia volo, & cognosco utrumque esse sufficiens mihi bonum, neutrum autem esse necessarium, sic enim etiam Deus inter bona creata æqualia liberè præeligit unum, ergo similiter poterit intellectus per voluntatem applicari ad unam potiùs partem quàm alteram. *Nec obstat*, quòd intellectus sit potentia necessaria, nam licet in evidenti

evidentibus necessariò procedat, non tamen in illis, quæ sunt inevidentia & incerta; & licet in his per se nequeat uni potiùs parti quàm alteri accedere, tamen potest applicatus per voluntatem, cujus imperio in his subjacet, & à qua potest determinari, ut aliter assentiatur, quàm mereantur præcisè motiva rationum, uti nunc certum est, postquam *Innocent. XI* damnavit hanc 19. propositionem, *voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; cujus oppositum cum dicat *Eliz. q. 5. §. 3.* his verbis, *intellectus nunquam objecto adherere plus potest, quàm putat illius motivum mereri.* Item *q. 9. §. 1.* *motiva alicujus conclusionis nequeunt jure pluris esse, aut pluris fieri respectu voluntatis, quàm sint vel fiant respectu intellectus,* doctrina ejus aliorumque sequacium nunc relinquenda est. Idem vult etiam *S. Th. 2. 2. q. 1. a. 4.* his verbis, *alio modo assentitur intellectus alicui, non quia sufficienter movetur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis quàm in aliam:* Item *l. 3. Eth. lect. 18* ante medium, *quia operabilia sunt contingenta, non cogitur ratio ad assentiendum huic vel illi sicuti accidit in demonstrativis, sed in potestate habet homo, quòd assentiatur uni vel alteri parti contradictionis, sicut accidit in omnibus opinabilibus & maxime circa operabilia, in quibus plurima attenduntur, secundùm quorum quodlibet aliquid potest judicari bonum.* Item de verit. *q. 14. a. 1.* *intellectus determinatur per voluntatem, qua eligit assentiri uni parti determinatæ propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non intellectum.* Idem vult *S. Ignatius Lojola* in *Epist. de obedient.* ubi ait, *hoc habet intellectus multis in rebus,*

rebus, in quibus videlicet veritatis evidentia vni
illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc po-
rius quam illam partem inclinari. Et ideo etiam
Arist. I. Rhetor. c. 1. ait, non similiter iudicium
reddimus, cum dolemus & cum letamur, & cum
diligimus & cum odimus. Plura pro hac sententia
afferentur q. seq.

400 Respondent 1. Ad rationem allatam, quod vo-
luntas ideo possit eligere inter bona æqualia, quia
in utroque invenit suum motivum, quod est boni-
tas: quando autem opiniones sunt contradictoriae,
veritas, quæ sola est objectum intellectus, deest uni
parti, cum certum sit alterutram esse falsam, ergo
intellectus non poterit flecti ad utramlibet partem,
ita *Eliz. q. 3.* Deinde ad auctoritates allatas dicunt,
S. Th. & S. Ignatium tantum velle, quod voluntas
facere possit, ut intellectus inquiret in plures ratio-
nes pro una parte, sicque in sensu tantum diviso æ-
qualium rationum fiat assensus ad unam partem.
Contra primum est, quod sicuti objectum volunta-
tis est bonitas vel realis vel tantum apparens, ideo-
que potest bonitati reali præeligere aliam æqualem
tantum apparentem, ita etiam objectum intellectus
est veritas vel realis vel tantum apparens, est autem
apparens in parte falsa contradictionis, uti supponi-
tur, cum pro illa sit motivum grave, ergo & hanc
amplecti potest, ac consequenter in utraque parte in-
venitur objectum intellectus. *Conf.* nam ponamus
S. Hieronymum & S. Augustinum esse apud me pa-
ris auctoritatis, & sibi contradicere in aliqua opi-
nionem, auctoritas *S. Hieronymi* faciet, ut in opinio-
ne ejus sit apparentia veritatis sufficiens ad determi-
nationem mei intellectus, saltem accedente piâ affe-
ctione voluntatis erga *S. Hieronymum*, & similiter
auctoritas *S. Augustini*, ergo. Contra secundum est,
quod

quòd S. Th. dicat intellectum assentiri uni parti propter aliquid, quod non movet intellectum sed voluntatem; & S. Ignatius dicat voluntatis pondere inclinari, & non novo motivo, ideoque vult intellectum sic semper per voluntatem inclinari ad assentiendum Superioribus, quamvis etiam intellectui non occurrerent rationes majores pro hoc assensu, atque in hoc ponit perfectionem obedientiæ, quòd ita cæcè submittat se piæ voluntati, & inde dicitur ejusmodi obedientia intellectus cæca, qualis non erit, si solam lucem motivi proprii, sequi debeat. Ista omnia *Conf.* in exemplis manifestis, nam si Titius accusetur coram Cajo, qui sit hostis, & coram Sempronio, qui sit amicus Titii, licet uterque eadem motiva audiat pro & contra Titium, sæpe fiet, ut pro diverso affectu, hic judicet Titium innocentem, ille nocentem: Similiter si pictor & statuarius audierint pro & contra motiva æqualia pro majore præstantia utriusque artis, pictor ex affectu judicabit suam præstantiorem, statuarius suam, ergo.

Resp. 2. Ideo voluntatem posse eligere æquale aut etiam minus bonum, quia ex eo, quòd hoc præeligat, non est necesse, ut alterum dicat esse malum: è contra intellectus deberet dicere alteram partem esse falsam, qui enim dicit hoc esse verum, dicit contradictorium esse falsum, nunquam autem potest prudens intellectus dicere hoc præ illo esse falsum, pro quo habet æqualia aut majora motiva dicendi esse verum ita *Eventhr.* Contra est, intellectus assentiens huic vero probabili, non dicit oppositum esse absolute, sed tantum dicit esse probabiliter falsum, nulla autem est contradictio aut imprudentia, quòd dicat hoc esse probabiliter verum, & alterum esse probabiliter falsum, etiam si pro hoc altero sint æqualia aut etiam majora motiva, quia certum est falsa quandoque esse probabiliora veris, ergo.

Obje:

- 402 *Objicies 1.* Motiva æqualia se mutuo elidunt, ergo neutrum manet dignum assensu. *R. n.* antecujus oppositum ostensum est n. 263. & 400.
- 403 *Obji. 2.* Ut sim proximè expeditus ad credendum viro gravi, requiritur, ut non cognoscam certo illum decipi, ergo ut sim proximè expeditus ad credendum duobus viris æque gravibus, requiritur, ut certò non cognoscam alterum ex illis decipi, atque ubi affirmant contradictoria, certò cognosco alterum ex illis decipi, ergo non sum proximè expeditus ad credendum huic vel illi, ita *Gonz. n. 46. R. dist. consequ.*, ergo ut sim proximè expeditus ad credendum duobus, requiritur, ut certò non cognoscam hunc vel illum determinatè decipi, & alterum indeterminate tantum, n. consequ., dummodo enim certò maneat auctoritas gravis pro utroque, manet motivum prudens credendi & huic & illi, uti dictum est n. 398.
- 404 *Obji. 3. Aristoteles 2. de anima text. 153. dicit.* imaginari esse in nostra potestate, non verò opinari, ergo intellectus etiam in opinabilibus non subiacet imperio voluntatis. *R. n. consequ.*, ad imaginandum non requiritur motivum, & contrà requiritur ad opinandum, cum opinio sit iudicium tendens in verum saltem apparens, & quia motivum non semper adest pro iudicio formando, hinc meritò dicit non semper esse in nostra potestate opinari; non dicit autem, quando motivum adest, præsertim gravi, non esse in nostra potestate opinari, patetque in materia fidei, pro qua licet sit gravissimum motivum, potest tamen voluntas suspendere actum, & facere, ut intellectus positivè dubitet, ac etiam erroneè iudicet oppositum: videri potest *Ess. a. 107. & seqq.*
- 405 *Obji. 4. S. Th. 1. 2. q. 9. a. 1. ad 3. ait,* voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus,...

sed quantum ad determinationem actus, qua est ex parte objecti intellectus movet voluntatem, & sic patet, quod non est idem movens & motum secundum idem. R. Tantum vult intellectum ad primos actus necessarios moveri à solo objecto, cum quo stat, quod idem intellectus postmodum per voluntatem moveatur ad alios actus non necessarios.

Obi. 5. Æqualitas motivorum est dubium ob- 406
jectivum, cui in mente respondet dubium formale, ideo enim viri docti hærent & dubitant, quid sentire debeant, si in utramque partem occurrant graves rationes æquales, ergo ubi est æqualitas motivorum, suspenditur omnis assensus, ita Gonz. Conf. ex S. Th. qui ait, tunc est dispositio dubitantis intellectus, quando est aperta æqualitas eorum, qua movent ad utramque partem: Item dicit: dubium, est contrariarum rationum æqualitas: ut autem sit dispositio opinantis, requirit motiva pro una parte majora, sic enim habet de verit. q. 14. a. 1. O. tunc est dispositio opinantis, quando intellectus magis inclinat in unam partem quam in alteram, unde accipit quidem unam partem, sed de altera dubitat. R. Omnia ista vera sunt, loquendo per se, si nempe intellectus sibi relinquatur, accedente tamen imperio voluntatis dubium illud deponitur, & intellectus determinatur ad unam partem, etiam si pro ea sit etiam minus motivum, uti etiam ex S. Thoma ostendimus in q. seq.

Inst. Intellectus est instar bilancis, quæ immota 407
est, ubi pondera utrimque sunt æqualia. Conf. nam non possunt duo homines æquè fortes & agiles, alter alterum è loco expellere, ergo similiter si motiva sint æqualia, neutrum poterit intellectum sibi subicere. R. Sicuti bilanx habens æqualia utrimque pondera manet immota, nisi una lanx aliunde ab extrin-

feco impellatur, ita intellectus per se manet immo-
tus, si adsint æquales rationes; sed sicuti, quamvis
utrimque pondera sint æqualia, aut etiam in una
lance sit majus pondus, tamen potest ab extrinsecis,
g. digito hominis, altera lanx deflecti magis, non ali-
ter ac si plus ponderis haberet, ita intellectus homi-
nis per voluntatem deflecti potest ad illam etiam
partem, pro qua est minus motivum, uti in q. seq. di-
cetur. *Ad Conf.* est idem dicendum, nam hæc ratio-
nibus procedunt in casu, quo intellectus sibi ipsi re-
linquitur; & idem est in duobus hominibus æqua-
liter fortibus, quorum tamen unus, si aliunde adju-
vetur, utique prævalet.

408 *Obji. 6.* Motiva æqualia sunt rationes dubitan-
di, sed solæ rationes dubitandi non sufficiunt ad re-
solvendum dubium, alioquin non essent rationes
dubitandi sed resolvendi, ergo. *R.* Sunt rationes du-
bitandi, quamdiu suspenditur iudicium, si autem
intellectus determinetur ad iudicium propter appa-
rentiam gravem veritatis, quæ est v. g. in parte A.
hæc ratio, quæ ut conjuncta cum ratione opposita
erat ratio dubitandi, jam sola fit ratio resolvendi
partem A.

409 *Inst. 1.* Quamdiu objectum æqualiter se habet
ad verum & falsum, non est ratio resolvendi potius
esse quàm non esse, sed quamdiu rationes sunt æ-
quales, objectum æqualiter se habet ad verum &
falsum, ergo. *R.* Quamdiu objectum æqualiter se
habet, non est ex parte objecti vel intellectus præ-
cisè ratio resolvendi, c, non est ex parte voluntatis,
n, accedente enim hoc imperio voluntatis jam ex
parte actus primi datur aliud principium movens
intellectum & concausans assensum,

410 *Inst. 2.* Intellectus assentiendo præfert unum
motivum alteri, ergo unum apparet melius, & con-
sequen-

sequenter non est æqualitas. R. Præfert unum alteri, propter vim motivi ipsius, n, propter affectum voluntatis, & formaliter per ipsum assensum intellectus, c, ergo unum apparet melius, secundum se & antecedenter ad assensum, n, propter affectum voluntatis & consequenter ad assensum ab intellectu positum, c, & sic fit in hæretico, qui quamvis videat etiam majorem probabilitatem pro objecto fidei, tamen propter impiam voluntatem assentitur opposito, quod consequenter cum pertinacia tenet, non tantum velut probabilius, sed velut unice verum, ideoque rejicit objectum fidei velut falsum. Notat quoque rectè Teril. in Reg. q. 51. assert. 4., si jam positus sit assensus ad partem A., hanc nunc dici posse probabiliorem in actu secundo, quia cum omnis assensus sit accessus & adhæsiō ad unam partem objecti & recessus à parte opposita, & intellectus non ita facile abducatur à ratione per judicium semel acceptata & approbata, hoc ipso objectum se aliter habet respectu intellectus, & ratio etiam ipsi aliter apparet, & inde etiam natum est illud adagium, *suum opinatum cuique videtur probabilius.*

Obij. 7. Ubi nulla est præsumptio veritatis, ibi non potest fieri assensus, quia omnis assensus est ad veritatem, sed ubi rationes æquales contradunt, nulla est præsumptio veritatis pro una parte potius quam pro altera, neutra enim rationes habent præ, sed sunt æquales, ergo. R. Ubi nulla est præsumptio veritatis, si sensus sit, ubi nullum est motivum pro veritate, ibi non potest fieri assensus, c, si sensus sit, ubi non est pro una parte præponderantia motivi, quæ faciat præsumptionem, quod pro ea parte stet veritas, n, satis enim est adesse motivum, & quidem grave, pro singulis partibus, & esse incertitudinem veritatis de utraque determinatè.

412

Inst. 1. Saltem ejusmodi assensus non est prudens, nam ubi rationes pro utraque parte sunt æquales, non est prudens ratio dicendi alteram esse falsam, cum sit æquè magna ratio dicendi esse veram. Constat nam si Petrus videatur mihi esse æqualis Paulo, non habeo rationem dicendi Petrum esse minorem, ideo essem imprudens, si dicerem eum esse minorem; & ratio à priori est, quia quantitas, quæ accipitur pro affirmanda magnitudine in Paulo, non accipitur pro eadem affirmanda in Petro, atqui idem est hic, est enim æqualitas & eadem mensura rationis pro utraque parte, ergo, ita *Ekrentr. R. n. ass.*, prudentes autem rationes pro ejusmodi assensu improbando dabimus n. 416. Ad probationem dico, rationem asserendi hanc partem esse probabiliter veram, etiam esse rationem asserendi oppositam esse falsam, ergo cum habeam rationem gravem asserendi hanc partem esse probabiliter veram, etiam habeo rationem asserendi oppositam esse probabiliter falsam, uti dictum est n. 401. *Nec obstat* esse æquè magnam rationem, ex qua, si vellem, possem asserere illam oppositam esse veram, *viam* una non elidit alteram, & ejusmodi oppositi assensus possunt in sensu diviso convenire eidem intellectui. *Ad Conf.* Evidenter advertatur æqualitas inter Petrum & Paulum, eliditur utrimque probabilitas pro aliqua in æqualitate: è contrà si pro utraque parte habeam gravia motiva, licet cum incertitudine videatur esse æqualitas, potero accedente imperio voluntatis assentiri parti huic vel illi.

413

Inst. 2. Si pulsus arteriæ fit bonus, & color in vultu malus, ita ut æqualiter signent bonam & malam valetudinem, Medicus non potest ferre judicium, ergo similiter hic. *R.* Posse ferre judicium probabile, vel in hanc vel in alteram partem.

Inst.

Inst. 3. Si rationes sint utrimque æquales, Judex non potest nisi temerè assentiri uni parti, ergo similiter intellectus noster. *R. n. ant.*, quamvis enim leges statuant, ut tum neutri parti in foro externo plenè adjudicet, tamèn non ideo erit temerarius, si per voluntatem erga suum amicum inclinatus internè assentiatur ipsius rationibus.

Reliqua solventur ad quæstionem sequentem.

Q. 52. Si motiva pro una parte sint probabiliora, 414
an etiam tum possit intellectus per voluntatem applicari ad assentiendum parti minùs probabili. *R.*

§. I. Si sit materia facti, *Carden.* negat, uti n. 398. insinuaturn est, quia secundùm Juristas probatio fortior destruit debiliorem, præsumptio major minorem: quidquid sit de foro externo, in quo sententia exterior semper ferenda est secundùm majus pondus rationum, puto etiam in materia facti esse tenendum, quod diximus n. 398. Quod materiam juris attinet,

§. II. Potest voluntas applicare intellectum, ut 415
motivis minùs probabilibus assentiatur, ita Auctores n. 399. citati cum *Teril.* in Reg. q. 30. 31. 33. & *Illf. t. I. d. I. a. 6.*, fateturque *Gonz. d. 10. n. 58. S. Thomam* videri hoc ipsum docere, ipse autem d. 3. c. 2. tenet oppositum, sed pro se malè citat *Vasq. & Less.*, saltem locis illis, quos refert, Item *Suar.*, nam non negat absolutè, sed potiùs idem nobiscum assentit, & tantùm dicit oppositum sibi esse probabile: contra nos tamen sentiunt *Laym. & Palav.* Item *Ess.* in app. a. 113., saltem pro casu, quo intellectus evidenter judicat motiva pro una parte esse graviora, si autem excessum illum evidenter non cognoscat, stat pro nobis; fatetur autem n. 152. rarè contingere, ut directè judicetur cum evidentia de notabili illo excessu. Responsio nostra *Probatur 1.*, quia ipsamet voluntas potest è duobus bonis ferri in mi-

nus, v. g. in bonum delectabile præ honesto, quam-
 vis certò agnoscat, quòd honestum sit majus, item
 in unum delectabile præ majori delectabili, uti ex-
 perientia docet, & suppono ex Philosophia, ergo se-
 militer intellectus sic imperante voluntate; possumus
 que hic applicari dicta n. 399. & seqq. Et quòd de
 voluntate dixi, docet *S. Th.* 1. p. q. 19. a. 3. his ver-
 bus, *Ea, que sunt ad finem, non ex necessitate volun-*
tas valentes finem, nisi sint talia, sine quibus esse
non potest, atqui finis sæpe esse potest sine medio
 se utiliore per minus utile, ergo voluntas potest velle
 hoc minus utile præ utiliore. Quod autem attinet ad
 intellectum, de verit. q. 14. a. 1. O. ait, *determinatio*
autem per voluntatem, qua eligit assentiri uni parti
si determinatè & præcisè propter aliquid, quod est
sufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad
movendum intellectum &c. Videtur idem sentire *S.*
Aug. relatus Cap. *Ego solis*, dist. 9. ubi, ad assen-
 tiendum, aliud non requirit, quàm auctoritatem
 vel rationem probabilem. *Probatur* 2. nam hære-
 tici formales, qui sæpe actu agnoscunt majora moti-
 va pro fide nostra, nihilominus ex prava voluntate
 pertinaciter adhærent suis erroribus. Item temerè ju-
 dicantes, sæpe saltem abripiuntur ad judicia, etiam
 sum pro parte opposita ex parte intellectus advertant
 rationes meliores, in illis enim stat pro ratione vo-
 luntas: è contrà homines probi, qui malas suspicio-
 nes fugiunt, etiam si majora motiva habeant pro asse-
 renda improbitate proximi, attamen per voluntate-
 rem attinent intellectum, ut quamdiu certò non pro-
 batur esse improbus, judicent esse probum, sicque
 interpretantur omnia in bonam partem, inquit *S.*
Th. 2. 2. q. 60. a. 4., & pluribus profequitur *Terri-*
in Reg. q. 55. à n. 36. ergo. *Ratio à priori est*, quia
 veritas, quæ est objectum intellectus, non tantum per
 proba-

probabilius, sed etiam per minus probabile attingi potest, & ad talem assensum naturaliter trahitur intellectus noster etiam in sensu composito motivi probabilioris, uti constat experienciâ, nam etiam trahitur per motiva contra fidem & planè temeraria, ergo talis assensus debet esse possibilis intellectui, alioquin inclinatio naturalis esset frustra, vel ad aliquid naturaliter impossibile, ergo poterit voluntas imperare, ut intellectus ad veritatem illam tendat per actum minus probabilem: Neque semper imprudens erit ejusmodi imperium, nam imprimis ex parte intellectus adest motivum grave & prudens, uti suppono: deinde ex parte voluntatis etiam sunt motiva sufficientia, v. g. ut sibi vel aliis non inferat nimis gravem molestiam, ut servet conscientiae suae libertatem, ut ostendat suave esse Christi jugum, quia hic & nunc utilius erit saluti proximi, si assentiar parti benignae; quia opinio ista minus probabilis est S. Thoma, est communior in schola nostra, à superiore mihi suadet, facilius explicatur discipulis &c., debuitque hæc ipsa fateri Ebrei, nam in principiis concl. 3. sic habet, *ipsum commodum vel incommodum notabile vicem & pondus rationis habet*: addit idem esse, si specialis honestas insinuetur intellectui à voluntate, uti honestas obedientiae, *ad hanc enim prosequendam potest intellectus relictis etiam majoribus rationum motivis subicere se voluntati aliorum*. Nec obstat periculum erroris, hoc enim manet, quamvis intellectus applicetur ad assentiendum probabiliori: & quamvis videatur esse majus periculum in assensu minus probabili, non ideo tenetur illud vitare & amplecti probabilius, tam parum, quam voluntas semper teneatur fugere minus bonum & amplecti majus; & ratio utriusque est, quia est prudens motivum amplectendi etiam illud,

illud, quod est minus. *Conf.* nam in primis iudicium probabilius potest suspendi, uti omnes fatentur, ergo tum melius erit intellectui habere assensum probabilem quàm nullum: deinde etiam motivum probabilius potest non ita attendi, sicque motivum probabile habebit se, ac si esset solum, si autem sit solum, potest obtinere assensum, ergo.

Respondent, Melius esse ignorare, & consequenter nullum omnino elicere assensum, quàm errare, nam *S. August.*, uti refertur dist. 38. Cap. 2. *quamvis*, ait, *in una eademque re & nescienti sciens & erranti non errans rectè à ratione proponitur*: Ratio est, quia bonum finale intellectus est veritas, atqui errans, etiam probabiliter, magis à veritate recedit, quàm prorsus ignorans, nam neuter quidem habet veritatem, at solus errans habet præterea falsitatem directè oppositam veritati, hinc omnes fatentur ignorantiam privationis esse minus malum intellectus quàm ignorantiam malæ dispositionis, sicuti in voluntate sola privatio virtutis est minus malum quàm positivum vitium; Item in agro est minus malum nullas habere herbas quàm habere malas, ergo, *ita Elix. 1. 6. q. 8. §. 10.* *Contrà* est 1. nam si hoc valet, ergo & abstinendum erit ab assensu probabiliori, qui etiam potest esse falsus. 2. Licet melius sit non errare quàm errare, tamen non omnis error est simpliciter malum intellectus, quamvis sit minus bonum, quando enim certò attingi non potest veritas, est bonum intellectui sic opinari de veritate, quæ prudenter præsumitur subesse tali motivo, uti pluribus dicitur n. 705., sicuti bonum est intellectui cognoscere apprehensivè, quamvis melius sit cognoscere judicativè. *Nec obstat*, quòd sola veritas dicatur esse bonum intellectus, nam intelligitur sola veritas vel realis vel saltem apparens, uti dictum est

est n. 400. ; realis quidem est bonum per se, appa-
rens autem, quæ est cum errore probabili, est bo-
num per accidens, in circumstantiis, quibus certò
dignosci non potest veritas realis, & habetur moti-
vum grave judicandi eam hìc & nunc adesse, sicque
manet, quòd objectum intellectus sit veritas cogno-
scenda, vel certò, vel probabiliùs, vel saltem proba-
biliter. 3. Vitium morale est simpliciter malum vo-
luntatis, quia inclinatur ad turpe: herba mala cense-
tur agro mala, quia Domino agri est noxia: aliud
est in opinione invincibiliter erronea, si prudente &
gravi motivo nitatur, talis enim falsitas vel error
re ipsa facit intellectum prudenter versari circa ob-
jectum, & contendere ad veritatem, prout huma-
no modo hìc & nunc attingi potest: quod patet re-
spectu diversorum intellectuum, qui utique pruden-
ter assentiri possunt conclusionibus contradictoriè
oppositis, pro quibus gravia motiva habent, quam-
vis certum sit alterutrum habere errorem.

§. III. *Objicies* I. Motivum majus elidit minus 418
sibi oppositum, ergo illud, quod minus est, non ma-
net dignum assensu. *R.* n. ant., cujus oppositum
ostensum est à n. 261. & 400.

Inst. 1. Saltem si sit evidens, quòd unum moti- 419
vum sit absolutè & simpliciter gravius, non manebit
probabilitas pro altero, quia tunc pro eo, quod est
minus probabile, non est fundamentum absolutè &
comparativè magnum, neque retinet amplius vim
magnam pertrahendi intellectum ad assensum, ob
præsentiam fundamenti oppositi, ita *Ess.* à n. 112.
R. n. ass. & ejus probationem, quamvis enim non
sit ita magnum, uti alterum, tamen manet simplici-
ter dignum assensu viri prudentis, uti supponitur, ex-
go manet simpliciter magnum.

Inst. 2. Magnum dicitur, quod est excedens, uti
habet

habet *Arist.* I. Rhetor. c. 7., sed motivum minus probabile non est excedens sed exceditur, ergo, ita *Gonz.* d. I. n. 18. R. Magnum dicitur, quod est excedens omne aliud magnum, n, & patet falsitas, alioquin magna, quæ exceduntur à majoribus, non essent magna: magnum dicitur, quod est excedens alia simpliciter parva, c, minus probabile autem excedit dubiè & tenuiter probabile, item improbabile, quæ sunt simpliciter parva, ergo.

420 *Obji. 2.* Si intellectus absque motivo unum affirmet & alterum neget, agit imprudenter, uti si affirmet stellas esse pares & neget esse impares, ergo etiam imprudenter agit, si absque motivo affirmet unum præ altero, sed quando una pars apparet minus probabilis, tum intellectus absque motivo affirmat hanc partem præ altera, nam haberet motivum pro affirmanda hac altera præ illa, non autem è contrà, ergo.

Conf. 1. nam imprudenter dicitur illud esse album, quod est similius nigro, ergo imprudenter dicitur illud esse licitum, quod verisimilius est illicitum.

Conf. 2. Non possum prudenter sequi illum, quem potius judicare possem falli, rejecto illo, quem potius judicare possem non falli, atqui ita est hic, ergo. Ita

Erenibr. R. n. min. subsumptam, nam quod attinet ad intellectum, adest motivum grave, uti supponitur; quod autem attinet ad voluntatem, etiam adest motivum prudens, uti n. 416. dictum est: *Nec obstat*, quod sit motivum majus pro altera parte affirmanda, nam hoc motivum est incertum, nec elidit probabilitatem alterius, & consequenter non impedit intellectum, quominus accedente imperio voluntatis amplectatur alterum. *Ad Conf. 1.* n. consequ., nam in evidentibus, quale est, quod video esse magis nigrum, non potest voluntas impedire aut in oppositum applicare intellectum, quia quod eviden-

ter

ter est magis nigrum, non potest non esse tale, nec potest esse motivum grave, quod non sit tale; è contrà in opinabilibus, illud, quod apparet magis verum, sæpe experimur fuisse falsum, & adest motivum grave pro eo, quod oppositum sit verum, ergo poterit voluntas facere, ut assentiar huic præ illo.

Ad Conf. 2. n. maj., nam quamvis judicare possem falli, tamen non teneor id judicare, sed ex gravi ac prudente motivo judicare possum non falli, ergo illum sequi possum non attento altero, cum nulla lex me obliget, ut sequar potius hunc quam illum.

Inst. 1. Motivum minus probabile sæpius connectitur cum falsitate, è contrà magis probabile sæpius connectitur cum veritate, ergo assensus ad minus probabile non est prudens, cum in eo sit exigua spes veritatis. *R. Cum Teril. hìc q. 2. à n. 15. n. ant.*, nam licet motivum minus probabile sæpius connectatur cum falsitate quam motivum magis probabile, tamen motivum minus probabile simpliciter & absolutè loquendo, vel etiam comparative ad similia motiva probabilia, sæpius connectitur cum veritate quam cum falsitate, & plura motiva simpliciter probabilia præsumuntur esse vera quam falsa, cum omnia sint ad assensum circa objectum tanquam verum, & maneat incertitudo de falsitate ullius, ergo prudenter assentior motivo probabili; sicuti licet sciam Petrum in loquendo sæpius dicere verum quam Paulum, quia tamen Paulus, licet minus sæpe quam Petrus, tamen sæpius dicit verum quam falsum, prudenter credere possum Paulo.

Inst. 2. Si voluntas efficaciter intendat millionem, possitque habere vel centum vel mille, imprudenter eliger centum præ mille, ergo cum intellectus efficaciter intendat veritatem, magis autem probabile sit vicinius vero quam minus probabile, imprudenter

prudenter eliget minùs præ magis probabili. R. 1. dist. ant., imprudenter eliget centum præ mille, si hic & nunc desit rationalis causa sic præeligendi, c. si talis causa adsit, n. posset autem esse, v. g. ne videatur hic & nunc nimis cupida, ne hunc offerentem planè emungat, ne offendat eos, à quibus petit, ut sic moderatè acquirendo semper vitet otium &c., causas autem ejusmodi rationabiles determinandi intellectum ad minùs probabile, dedimus n. 416. R. 2. Dato antec. n. conseq., nam magis probabile non semper est re ipsa vicinius vero, sed tantùm habet majorem colorem vicinitatis, re ipsa tamen fortè est remotius, è contrà mille sunt semper & certò viciniore millioni, quàm centum, ergo manifesta est disparitas.

423 *Inst.* 3. Ergo poterit quis prudenter assentiri, jam huic jam illi contradictorio; & quis hoc non argueret maximæ insipientiæ? Ita *Eliz.* in app. q. 1. R. Si voluntas ex prudente motivo mutet suum imperium, c. seq., & n. in hoc fore ullam insipientiam, nam & ipsa voluntas potest pro libitu jam amare majus bonum, & statim pòst, minus: quia tamen voluntas difficulter mutat actum, ad quem se efficaciter resolvit, & intellectus ipse firmitùs adhæret illi, quod semel amplexus est, non ita facillè fiet ejusmodi mutatio imperii in voluntate vel opinionis in intellectu.

424 *Inst.* 4. Talis assentietur, quia vult, ergo non ex ratione, ergo non prudenter, ita *Gonz.* d. 11. n. 14. R. 1. Etiam assentiens probabiliori, assentitur, quia vult, quia voluntas liberè applicat intellectum ad hunc assensum, ad quem ratio non necessitat. R. 2. Assentitur, quia vult, ita ut sit pro ratione voluntas, n. ita ut voluntas sit applicativa ad assensum propter grave motivum ab intellectu propositum, c. antec. & n. utramque seq. Obj.

Obji. 3. Dominium, quod voluntas habet in intellectu, non est despoticum, sive, in bonum ipsiusmet voluntatis, sed est politicum, id est, in bonum ipsiusmet intellectus, atqui intellectui melius est assentiri verosimiliori, quia per hoc præsumitur magis accedere ad veritatem, ergo. **R.** Dominium voluntatis in alias potentias est partim politicum partim despoticum, id est, partim in bonum potentiarum, partim in bonum voluntatis, etiam cum damno potentiarum, quibus uti potest etiam in ipsarum dispendium, v. g. oculo, imperans videre intensam lucem, quâ læditur: idem est, si intellectum determinet ad hæresin, ad iudicium temerarium &c., ergo multò magis poterit determinare ad opinionem, quæ est bonum intellectus.

Inst. 1. Voluntas non potest facere, ut intellectus non sit potentia necessaria, ergo nec potest facere, ut non potius assentiatur motivo majori quàm minori. **R. n. conseq.**, sic enim est potentia necessaria, ut voluntati subiaceat in non evidentibus, uti omnes fatentur.

Inst. 2. Voluntas non potest facere, ut si duo inæquales soni edantur, auditus non magis percipiat maiorem quàm minorem, ergo nec, ut intellectus non magis assentiatur probabiliori quàm minus probabili. **R. 1.** Ergo similiter voluntas non poterit seipsam adducere, ut bonum minus præligat majori, item non poterit facere, ut intellectus suspendat iudicium probabilius, quia non potest facere, ut auris non eliciat auditionem soni. **R. 2. n. conseq.**, quia intellectus in opinabilibus magis subiacet voluntati quàm sensus externi, uti omnes fateri debent.

Obji. 4. Opinari est assentiri, assentiri autem est iudicare potius verum quàm falsum, atqui advertens aliquid esse minus probabile, non potest iudicare

care esse potius verum quàm falsum, ergo non potest opinari minùs probabile. *prob. min.*, oppositum apparet ei ex motivo esse verosimilius, ergo non potest judicare minùs probabile esse potius verum quàm falsum. *Conf.* nam si assentiaris minùs probabili, hoc ipso judicas illud esse verum, quia omnis assensus est ad verum, ergo hoc ipso judicas contradictorium esse falsum, quia scis, si hoc contradictorium sit verum, alterum debere esse falsum, atque impossibile est, ut judices hoc esse falsum, pro quo actu agnoscis motiva verosimiliora, ergo. *R. n. min.*, ad *prob. n. conseq.*, quamvis enim motivum appareat esse verosimilius, tamen scitur esse fallibile ac posse esse falsum, & cum in contrarium appareat etiam grave motivum, voluntas imperat, ut huic assentiatur tanquam probabiliter vero: unde *Ad Conf. n. min.* subsumptam, nam pro asserenda falsitate est motivum grave, uti n. 412. est dictum.

429 *Inst. 1.* Intellectus adhæret veritati quantum potest, ergo etiam verosimiliori. *R.* Quantum de se est, transeat, si aliter imperet voluntas, n. conseq., potest enim determinari ad hæresin, ad iudicium temerarium, licet magis appareat veritas opposita.

430 *Inst. 2.* Minùs verosimile est negatio verosimilitudinis, sed huic negationi non potest assentiri, ergo. *R. n. maj.*, nam pro minùs verosimili est motivum positivum, grave & prudens, quamvis adfit negatio majoris verosimilitudinis, quæ non excludit alterum motivum minus, sicuti minor lux non excludit majorem, ideoque non est negatio lucis, quamvis adjunctam habeat negationem majoris lucis.

431 *Inst. 3.* Quod apparet esse minùs probabile, non potest judicari esse magis probabile, ergo nec potest judicari.

judicari esse verum, quia esse verum est plus, quàm esse magis probabile. *R. n. conseq.*, evidens enim est, quòd fit minus probabile; è contrà non est evidens, quòd fit falsum, & est motivum grave pro eo, quòd fit verum, ergo potest judicari, quòd fit verum, licèt plus sit dicere esse verum, quàm esse tantum magis probabile: itaque ratio disparitatis à priori est, quia quando incertum est, an aliquid fit verum, potest judicari esse verum, vel ex majore vel ex minore motivo gravi; è contrà quando aliquid scitur esse minus probabile, nullum potest esse motivum judicandi esse magis probabile.

Q. 53. *An subditus teneatur obedire Superiori imperanti aliquid probabiliter licitum, si subdito probabilius sit illud esse illicitum.* *R.* Affirmat rectè *Busenbaum* suprà, sed probatio meliùs firmanda est: fit itaque,

§. I. Si subditus licitè possit obedire, tum tene- 432
tur, atqui subditus in hoc casu licitè potest obedire, ergo tenetur. *Major* videtur certa contra *Schild.* tr. 2. c. 4. n. 57., nam subditus tenetur obedire in omnibus licitis, & potestas præcipiendi est hic in certa possessione; habet insuper Superior jus imperandi hoc, quod ipse judicat licitum, ergo subditus habet obligationem faciendi. *Minor* est serè omnium, & satis constat ex *Cap.*, *Quid culpatur*, *Caus.* 23. q. 1., ubi *S. August.* dicit subditum posse militare ita jubente Rege etiam *Sacrilego*, *si certum non sit bellum esse iniquum*; quamvis autem probabilius esset esse iniquum, tamen hoc nondum esset certum, ergo posset militare.

§. II. *Communis* sententia absolutè tenet talem 433
subditum teneri obedire, ita *Sanch.* in *Decal.* l. 6. c. 3. n. 6. *Carden.* in 2. crisi d. 2., qui in 1. crisi d. 61. n. 168. vocat sententiam certam: *Mendo* in *Stat.* d. 13. à

13. à n. 234. *Lugo* in Resp. mor. l. 3. d. 19. n. 3. *Teril.* in Reg. q. 46. *Ulf.* t. 1. d. 1. n. 72., nec audent negare *Ehrentz.* a. 12. & *Gonz.* d. 14. n. 92. ; Consentit etiam *Adrianus*, uti ostendit *Teril.* hic q. 23. à n. 96. idem docet *Cardin. Sfondratus* in Reg. Sacerd. l. I. §. 20. n. II. *Probat*ur auctoritate, nam *S. Bern.* de præcep. & dispens. c. 12. ait, *quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* *S. Bonav.* in Spec. discipl. c. 4. loquitur iisdem verbis: *Humbertus* Ordinis Prædicatorum Generalis V. in lib. de erudit. religios. c. I. *nisi apertè sit malum, quod à Superiore præcipitur, sic accipiendum est, ac si à Deo præciperetur.* *S. Bernardin. Senensis* in dialogo de obed. ubi subditus rationabiliter dubitat, an, quod præcipitur, sit peccatum an non, tunc profectò obedire debet. *S. Ignatius Lojola* 3. p. Const. c. I. §. 23. dicit obediendum in omnibus rebus, ubi peccatum non cerneatur: & p. 6. c. I. in Declar. lict. B. dicitur, *hujusmodi sunt illæ omnes, in quibus nullum manifestum est peccatum: & in Epist. de obed. dicit, omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto conjuncta non sunt.* *Dionysius Carthus.* in 2. dist. 39 q. 3. *in dubiis, an sit contra præceptum Dei, standum est præcepto Prælati, quia etsi sit contra Deum, attamen propter obedientiæ bonum non peccat subditus: similiter docent alii apud Teril.* in Reg. q. 46. n. 13., qui addit, *nec quæquam invenit, qui contrarium teneat.* Ratio autem est, quia rectus ordo & necessaria subordinatio subditi ad Superiorem ita postulat, essetque majus malum turbari illum ordinem, quàm fortè peccari materialiter, nam posset quivis subditus facillè obedire, aut etiam judicare, rem præceptam esse illicitam,

tam,

ram, unde sequerentur discordiæ Superiorem inter & subditum, scandala, perturbationes &c., quæ sunt mala certa, ubi è contrà malum, quod ex obedientia timeretur, nempe materialis transgressio legis Divinæ, non esset certum sed solummodo dubium, malum autem certum vitari debet præ dubio, ergo. *Conf.* nam sicuti officium Judicis à Deo institutum est tanquam absolutè bonum, licet per illud quandoque fiat materialis injuria innocenti, ita etiam ordo subjectionis inter homines, licet quandoque propter humanam ignorantiam intervenire debeant errores; estque minus malum hos errores esse, quàm everti ordinem illum, ergo. Videri potest *Teril.* à n. 15.

§. III. Hactenus dicta maximè valent de subditis religiosis, cum hi insuper se voto astrinxerint ad obediendum; estque communissima SS. PP. & Alcegarum doctrina, quod cæca obedientia sit securissima conscientiæ regula in omnibus, de quibus certum non est, quod sint mala, uti optimè deducit *Teril.* assert. 4.

Respondent, Subditum in tali casu teneri quærere rationes pro Superiore, & sic deponere opinionem suam; ratio autem potest semper illi esse, quia subditi stantes suo judicio contra Superiores plerumque errant, ita *Eliq. & Gonz.* n. 102. Addit *Ehrentz.* a. 13. rationem universalem esse, quia vox Superioris pro voce Dei habenda est. *Contrà* est, 1. nam fieri potest, ut subditus longè doctior, certus sit opinionem suam esse probabiliorem, ideoque hinc & nunc non errare in judicio circa illam majorem probabilitatem; hoc supposito tenebitur obedire, uti fatentur A A. illi, neque tamen poterit opinionem suam deponere, uti ipsi docent, ergo tenebitur sibi formare dictamen reflexum propter probabilem opinionem

Su-

Superioris, & secundum eam obedire v. g., dicendum
quamvis spectatis motivis directis videatur illicitum
hoc agere, quia tamen incertum est, & pro
Superiore etiam est prudens motivum, licite faciamus,
quod ipse precipit, quia in his circumstantiis, si non
obedirem, agerem contra jus, quod habet imperandi
&c.; ubi vides esse alia motiva pro hoc iudicio
reflexo, quae non sunt pro directo: videri poterit

- 436 *Illf. n. 60. 2. Cap., Inquisitioni* de sent. excomm.
statuitur, ut conjux debitum reddat, etiam si ratio-
nabiliter opinetur matrimonium esse nullum, ergo
sicuti hic conjux, etiam retinens opinionem suam
licite reddit debitum, ita subditus hic, sicuti enim
alter conjux habet jus ad debitum, ita Superior ad
437 actionem subditi. 3. Praeceptum Superioris ejusque
auctoritas est certa, etiam in sensu composito opi-
nionis in subdito, è contra lex prohibens actionem
subdito & excusatio subditi sunt incerta, atqui praec-
eptum & auctoritas certa possident, ac proinde
praevaleant contra legem & excusationem incertam
ergo. 4. Stante dubio subditi utrimque negativo,
an objectum sit illicitum, subditus tenetur obedire,
ut fatentur omnes, ergo etiam stante dubio po-
sitivo, vel etiam opinione incertâ subditi oppositam
tenentis, hac enim non obstante Superioris praec-
eptum & auctoritas manent in certa possessione; &
si subditus non teneretur obedire, sequerentur aequi-
liter incommoda n. 433. relata.

- 438 §. IV. *Obji. I.* Licetum est subdito non obedire,
si sit probabile non esse obligationem obediendi, ut
docent *Sayr. Torr. T. & J. Sanch.* in sel. d. 33. n. 28.
sicuti enim licetum est in aliis materiis sequi proba-
bilem, ita etiam hic: atqui si subdito sit probabilius,
quod objectum sit illicitum, tum probabile est non
esse obligationem obediendi, nam obligationem in

eo casu negant *Salas*, *Ledesm. F. Lugo*, *J. Sancho*
 n. 32. *Diana* p. 2. tr. 13. R. 10. *Escob.* in probl. 1. 2.
 n. 107. *Castop.* d. 2. pu. 6. n. 5. ; Et ratio est, quia
 quando dubium est, an objectum sit illicitum, etiam
 dubium est, an potestas Superioris unquam se eò ex-
 tenderit, ergo Superior non est in certa possessione,
 sed prævalet certa possessio libertatis in subdito, ergo.
Conf. 1. nam Superior non potest strictiùs obligare,
 quàm Christus & Ecclesia, sed Christus & Ecclesia
 non obligant, quando probabile est hanc vel illam
 materiam non contineri sub præcepto, ergo. ita
Escob. Conf. 2. nam *Laym.* c. 5. n. 12. *Diana* in
 comp. v. *Subditus* n. 2. *Ehrentz.* a. 12. aliique di-
 cunt saltem tum non teneri obedire subditum, si
 præterea grave incommodum sibi vel alteri perso-
 næ timeat in honore vel rebus, quia est in posses-
 sione juris ad conservandam rem suam vel alterius,
 de quo de juri non debet per dubiam potestatem Su-
 perioris imperandi hinc & nunc. R. 1. n. maj., quia
 obstat certa possessio Superioris, quam non eli-
 dit probabilitas subditi, sicuti si sis in certa possessio-
 ne prædii cum probabilitate juris, licet alius putet
 etiam ex motivo probabiliore prædium suum esse,
 tamen non est ipsi licitum te exuere possessione :
 Adde, quòd subditus admittendo Superiorem vel
 vovendo obedientiam obliget se ad obediendum in
 omnibus non certò illicitis, adeoque resignat juri
 sequendi opinionem suam etiam probabilem, si
 fortè esset contraria juri Superioris, sicuti conjux
 iniens matrimonium obligat se ad permanendum
 in eo, quamvis fortè postea habiturus esset opinio-
 nem probabilem de eo, quòd matrimonium suum
 non valeret, uti dicitur de matrimonio. R. 2. cum
Mendo n. 237. & *Illf.* n. 72. n. min., quia tum pro
 potestate Superioris est certa possessio, uti jam di-

ctum est, & quamvis dubium sit, an objectum sit illicitum, non ideo est dubium, an potestas Superioris se eò extendat, quia certum est, quòd se extendat ad omne illud, quod non est certò illicitum. *Ad conf. 1* distinguo, Superior non potest strictè obligare, quàm Christus & Ecclesia possint obligare, quàm Christus & Ecclesia de facto obligent, nisi Ecclesia urgeat suum vel Christi præceptum per damnationem alicujus propositionis alioqui probabilis, (quod utique potest) tum est certa obligatio si autem non declaret nec urgeat obligationem, seipatiatur opinionem probabilem deobligantem, concludimus Christi aut Ecclesiæ legem non esse nobis sufficienter applicatam, ideoque non obligare: contra Superior in nostro casu urget & declarat obligationem sui præcepti, statque pro eo possessio potestatis imperandi, cui non debet obstare probabilitas subditi. *Ad conf. 2* dico, ex eo plus non permitti subdito, quàm ut incommodorum illorum pericula proponat Superiori, qui si prudenter consideratis omnibus declaret nihilominus prævalere causas sui præcepti, ideoque illius executionem urgeat, tenebitur subditus obedire, nisi fortè imperaret aliquid excedens imbecillitatem humanam & falsum est, quod additur, potestatem imperandi in Superiore hìc esse dubiam.

439 *Obji. 2.* Votum non obligat in probabili dubio peccati mortalis, ergo nec Superioris præceptum. *R.* n. conseq. Votum soli Deo factum tantùm obligat ad id, quod melius est, & ad alia non acceptatur Deo: è contra votum simul homini factum obligat ad omne, quod non est certò illicitum, sive sit melius five non.

440 *Obji. 3.* Nemo obediret Superiori imperanti in gressum super aquas. *R. 1.* sic *S. MANUS* obediret *S. R.*

S. Benedicto. R. 2. Etiam quisque se accingere deberet ad hoc exequendum, si probitas & prudentia Superioris esset ei satis cognita, tum enim deberet præsumere, quòd vel imperaret ex superiore instinctu, vel tantùm vellet, ut subditus faceret, quantum in se est; revocaretque mandatum visâ subditi dispositione: è contrâ si sciam Superiorem non esse prudentem sed imperiosum, non debebo obedire, quia sciam illum excedere potestatem imperandi, ideoque prudenter præsumere non potero rem imperatam esse hîc & nunc licitam, quam antecederet certò scio esse, per se loquendo, illicitam.

Inst. Ergo etiam erit obediendum, si pro inhonestate objecti imperati habeat subditus grave motivum, & nullum occurrat pro ejus honestate. *R. Suar.* negat seq., putat enim tum fore moraliter certum, quòd actio sit inhonesta; sed *Terz. à. n. 22.* melius concedit, nam potest pro inhonestate esse motivum merè probabile, consequenter non erit certum esse illicitum, SS. PP. autem & Ascetæ dicunt esse obediendum in omni casu, si non sit certum esse peccatum. *Conf.* nam conjux in omni dubio debet reddere debitum, uti n. 436. dictum est, ergo etiâ subditus in omni dubio obedire. Quòd si nequidem Superiori esset probabile, quòd objectum sit licitum, excederet suam potestatem imperando, nec foret ei obediendum, quia non potest imperare, nisi quod bonâ fide putat esse licitum.

Objs. 4. Opinio subditi habet se sicuti conscientia vincibiliter erronea, quæ deponi debet. *R. n. aff.*, nam 1. sæpe deponi non potest, uti n. 435 dictum est. 2. Licet subditus deponere possit, non tenetur, quia manente judicio illo potest sibi ex probabilitate opposita formare conscientiam practicam & obedire, uti ibidem est declaratum. 3. Opinio probabilis

bilis est prudens, conscientia vincibiliter erronea, concepta est imprudenter, ergo licet hæc deponi deberet, non ideo illa: Plura circa hæc addemus postea à n. 593. item l. 4. à n. 159.

- 443 Q. 54. *An Confessarius possit vel debeat contra propriam opinionem etiam probabiliorem absolvere pœnitentem, qui tenet oppositam probabilem. Et de reliquo rite est dispositus, v. g. si pœnitens probabiliter putet sibi licere, ideoque etiam posthac velitis diebus festis scribere lucrâ causâ, an Confessarius iudicans probabiliter esse, quod id non liceat ipsi, possit vel debeat eum absolvere.* R. Resolvit quidem quæstionem Busenbaum supra, sed paulò pluribus res est explicanda, hinc fit,

§. I. Si Confessarius omnibus bonâ fide & sine passionis consideratione consideratis iudicaret opinionem pœnitentis non esse probabilem, absolvere non posset, nisi pœnitens promitteret impostero opinioem suam deserere, quia Confessarius tum iudicare non posset pœnitentem esse dispositum & habere propositum servandi omnia Dei & Ecclesiæ præcepta: per accidens tamen quandoque, saltem ad tempus opportunius relinqui posset pœnitens in aliqua ignorantia nunc invincibili & absolvi, uti dicitur de pœnitentia.

- 444 §. II. Si Sacramentum per hoc exponeretur periculo nullitatis, uti si pœnitens vellet absolvi omnino absque aliquo, quod utrimque probabiliter affirmatur & negatur esse de valore Sacramenti, Confessarius non posset eum absolvere, quando enim agitur de valore Sacramenti, non tantum Confessarius sed & pœnitens ipse tenetur sequi tutiorem, uti dicitur de Sacramento.

- 445 §. III. Supposito casu quæstionis vel alio simili omnino videtur certum, quod Confessarius teneatur

tur absolvere pœnitentem, ita docent AA. communissimè, inter quos *Victor*. in sum. de Confess. n. 178. citans *Palud. & Goffred. Navarrus* in man. c. 26. n. 4. citans *Adrianum: Reginaldus* de prud. Confess. c. 3. s. I. §. I. n. 7. *Angelus de Clavasio*, qui floruit circa annum 1480. in Sum. V. confessio §. 2., *Ioannes Nider* sub annum 1430. in Consolat. timor. consc. 3. p. c. 12 & 15. citans præterea *Claramontensem & Erdenberg. Domin. Sot.* in 4. dist. 18. q. 2 a. 5. ad 5. *Tolet.* l. 3. Instruct. Sacerd. c. 20. *Suar.* l. 2. tr. 3. d. 12. s. 6. n. 9. *VViggers* 1. 2. q. 19. a. 6. dub. 6. n. 48. *Diana* p. 2. tr. 13. R. II., addens, licet putet opinionem pœnitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem: *Laym. Lohn. & Schild.* tr. 2 n. 121. *Carden.* in Addit. ad 1. crisin n. 23. 41. & seqq. *Mendo* in Stat. d. 13. n. 201. *Stoz* l. 1. p. 5. n. 117. & l. 2. n. 132., optimè *Teril.* in Reg. q. 47. *Illf. t. I. d. 1. n. 71.*

Est autem contra *Fagnan. Baron. Mercor. Philal. Eliz. Gonz.* d. 14. n. 129. Rationes pro nostra Responsione sunt, I. quia pœnitens supponitur aliunde rite dispositus, illa autem opinio Confessarii impertinenter se habet ad conscientiam præteritam aut etiam impostertum formandum à pœnitente, cui licitum est se dirigere secundum opinionem suam & aliorum fortè doctiorum & prudentiorum, quàm sit ipse Confessarius, quos sequendo si erret, error est invincibilis, nam ipse omnibus consideratis bonâ fide putat opinionem suam esse licitam, & scit defendi tanquam talem à viris doctis & prudentibus, ergo nulla ratio est, ob quam ei negari possit absolutio. *Conf.* nam stultum est, si Confessarius vellet omnes, quos absolvit, cogere ad easdem opiniones secum tenendas, quasi verò ipse solus sapiat: & cur cuique non liceat in rebus incertis opi-

nari, quod apparet verum? 2. Si Confessarius esset ejusdem opinionis cum pœnitente, utique teneretur eum absolvere, ergo & nunc teneretur, quia pœnitens est nunc eodem modo dispositus, & per accidens se habet illa speculativa opinio Confessarii. 3. Si non absolvat, facit injuriam, imprimis Auctori Sacramentorum, quia hoc Sacramentum sine justa causa relinquit imperfectum; deinde pœnitenti, quia post enarrata peccata, per se loquendo, habet jus ad absolutionem, & insuper nunc injustè cogitur bis confiteri eadem peccata. 4. Si ejusmodi pœnitenti neganda est absolutio, ergo absolvi non debet moribundus, qui restituere nollit ductus opinione verè probabili, quòd restituere non teneretur, si Confessarius judicaret oppositum, hoc autem est grave inconveniens. Si dicas, in isto casu utendum esse sententiâ etiam dubiâ: *Contra* est, in omni dubio absolutè favendum est Reo: & hic non est ratio dubia, sed certò probabilis, imò, ut existimo, certa pro pœnitente.

446 §. IV. *Obji.* 1. Æger sanandus est arte, non suâ, sed Medici, ergo pœnitens, utpote æger, teneretur se accommodare opinioni Confessarii, qui Medicus est, ita *Baron. R. I.* Dato antec. n. conseq., ars Medici hic, est absolutio, quam nomine Christi applicat Confessarius, & quâ sanatur pœnitens, ad hanc autem absolutionem nil confert, quòd Confessarius hanc vel illam opinionem teneat, fortè etiam singularem & heteroclitam, vel saltem in se minùs probabilem, quàm sit opinio pœnitentis. *R. 2* Æger sanandus est arte Medici, si Medicus præscribat necessaria vel prohibeat nocitura, c, si nec necessaria præcipiat nec nocitura prohibeat, n. antec. & conseq., nam ejusmodi opinio Confessarii habet se omnino per accidens & impertinenter ad absolutionem, ut dictum est. *Obji.*

Obj. 2. Confessarius agit ut Judex & ut Superior, ergo non debet ferre sententiam secundum opinionem pœnitentis, qui est Reus & subditus, sed hic tenetur se illi submittere. *R. n. conseq.*, nam sententia, quam fert Confessarius, est partim iudicium de dispositione pœnitentis, partim absolutio; iudicium autem illud & absolutio formanda est secundum conscientiam pœnitentis, ergo cum pœnitens sequendo opinionem suam non peccarit nec peccet, iudicandus est dispositus, & secundum hoc iudicium absolvendus est.

Inst. 1. Confessarius non debet absolvere contra suam conscientiam, ergo nec contra suam opinionem. *R. n. conseq.*, tenetur enim sibi formare conscientiam, non secundum suam sed pœnitentis opinionem, v. g. hoc modo, *quamvis ego opiner scripturam ob lucrum in die festo esse illicitam, tamen cum opinio mea sit incerta, & pœnitens probabiliter putet esse licitam, nec teneatur opinionem suam deserere & sequi meam, non possum iudicare illum esse indispositum, ergo cum peccata ipsius audiverim, neque mihi licitum sit abrumpere Sacramentum, aut negare jus, quod ad absolutionem habet, teneor absolvere, prascindendo ab illa opinione mea speculativa, qua hinc se impertinenter habet.*

Inst. 2. Scientia, quid circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ sit faciendum, non requiritur in pœnitente, sed in Confessario, ergo hinc procedendum est juxta cognitionem Confessarii, non pœnitentis. *R.* Ergo hinc procedendum est juxta cognitionem Confessarii, huc pertinentem, c, huc non pertinentem, n. conseq.: cognitio Confessarii huc pertinens est iudicium, quod hinc habere debet de statu & dispositione pœnitentis, & secundum hanc cognitionem

tionem debet se regulare Confessarius, eique etiam se submittere debet pœnitens, quia Confessarius hoc agit ut Judex & ut Superior; alia autem cognitio directa, quam Confessarius tanquam privatus Theologus habet de eo, quod scriptio die festo facta ob lucrum sit illicita, est hic impertinens, nec tenetur se illi submittere pœnitens, ideoque hæc cognitio ad summum valere poterit pro regulando Confessario ipso, si scribere velit ipse die festo, non autem pro regulando pœnitente, qui licite se regulat secundum suam & gravissimorum Doctorum opinionem contrariam.

450 *Inst. 3.* Ordo rectus inverteretur, si Judices tenerentur judicare secundum opinionem reorum; Item si Ecclesia teneretur procedere secundum opiniones subditorum. *R. ad 1.* Quando iudicium instituitur circa conscientiam & peccata Rei, uti fit ad tribunal pœnitentiæ, tum debet Reus judicari secundum opiniones suas, per quas fit, ut vel incurrat vel evitetur peccatum; aliud est in aliis tribunalibus, ubi quæritur, quid in re sit, v. g. ad quem à parte rei pertineat agere, an Titius re ipsa occiderit, furatus sit &c., tum enim non attenditur ad opiniones litigantium, vel eorum, qui accusantur, sed ad argumenta directa rem vel factum secundum se probantia. *Ad 2.* Ecclesia extra tribunal confessionis habet jus ferendi leges & regendi fideles independentem ab opinionibus eorum, quos etiam obligare potest ad deserendas opiniones suas in praxi; è contra in tribunali Confessionis, à Christo iussa est judicare & procedere secundum conscientiam pœnitentis, quam hic licite format secundum opiniones suas ab Ecclesia permissas & certo probabiles, uti sæpe dictum est.

451 *Obji. 3.* Pœnitens, qui die festo non vult omittere

re scriptionem propter lucrum, secundum judicium, quod Confessarius habet, non vult servare unum mandatum graviter obligans, ergo secundum judicium Confessarii est indispositus, ergo cum ad Confessarium spectet judicium de dispositione poenitentis, non potest eum absolvere. R. Secundum judicium, quod Confessarius habet, tanquam Confessarius, non vult servare unum mandatum, n, secundum judicium, quod Confessarius habet tanquam privatus Theologus, c. antec., & similiter distinguo utramque seq., si enim agat tanquam Confessarius, non debet agere cum poenitente secundum judicium directum & speculativum, quod habet tanquam privatus Theologus, sed secundum reflexum & practicum, quod habere debet tanquam Confessarius, uti n. 448. est explicatum.

Inst. Saltem si non sit ex officio Confessarius, non tenebitur absolvere, quia ex mera voluntate pendet ejus absolutio, ita *Armilla* apud *Teril.* hic q. 23. n. 48. R. n. aff., rectè enim dicunt *Victor. Nav. Soc.* supra, & alii communissimè, hic non esse distinguendum inter obligatum & non obligatum audire; & ratio est, quia licèt ex ejus voluntate pendeat audire, si tamen audiverit, tenetur absolvere, quia audiendo peccata tacitè promiserat & se obligarat ad absolvendum, si inveniret dispositum, uti fatetur cum communi *Gonz.* n. 123., poterit nihilominus talis Confessarius non obligatus, poenitentem monere, ut non redeat, nisi velit dirigi secundum alteram opinionem, alioqui non absolvendum, uti rectè *Stoz* n. 133., si enim tum redeat ad eundem Confessarium, censetur cedere juri suo, & se directæ illius opinioni velle submittere. Ex dictis,

Inferes, Confessarios illos non rectè fungi officio suo, qui non student cognoscere plurium Auctorum

rum probabiles sententias, sed pœnitentes omnes suos volunt dirigere secundum opiniones incertas unius alicujus Auctoris vel Professoris sui, uti pluribus dicitur de pœnitentia, quando de prudentia Confessarii.

454 Q. 55. *An Principes & Superiores sint tuti in conscientia, si nudè sequantur iudicia & consilia probabilia suorum Consiliariorum. R.*

§. I. Rationes pro parte affirmativa sunt, 1. quia si licet prudentum Theologorum consiliis acquiescere, cur non horum? 2. In multitudine agendorum non est Principi aliud possibile; & ad hoc sunt Consilarii, ut per eos juventur illi, qui regunt. 3. Consulti communiter sunt peritiores Jurium, quam Consulentes, cur ergo non liceat eos sequi? 4. Si non licet sequi illos, ergo prudenter aget oppositum, hoc autem nemo dicit, nam qui suorum consilia non sequitur, sed ex proprio cerebro gubernat omnia, ab omnibus habetur minus prudens; è contrà qui sequitur suorum sapientum consilia, in communi sensu est prudens, maximè cum homo alieno potius iudicio fidere debeat quam suo. 5. Si Princeps haberet in se uno scientiam & experientiam suorum Ministrorum, utique diceremus eum tutò agere, sequendo, quod ipse judicaret æquum, ergo & nunc, quia sequendo consilia suorum, est, ac si ageret ex scientia & experientia in se reperta.

455 §. II. His non acquiescit *Eliz.* l. 6. q. 7., sed absolute negat Regentem ex hoc fore tutum in conscientia, 1. quia si opus non est, ut rem ipse discutiat, & perpenfis utrimque rationibus definiat, non necessario ad regimen eligitur dignior, sed aptus erit quisque, si solummodo sciat numerare, ex qua parte sint plura suorum Consiliariorum suffragia. 2. Invertetur omnis ordo regiminis, non enim ipse re-

get

get sed regetur, critque tantum executor negotiorum; caput erunt pedes, & pedes caput. 3. Non erit, cur dicat scriptura *Ecclesiasta* 10. v. 16. *va sibi terra, cuius Rex puer est!* Item, cur inculcet *Pf. 2. v. 10. Et nunc Reges intelligite; erudimini, qui iudicatis terram. Sap. 6. v. 10. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam.* Merito dixit Illustris Arauso, *neque Principem ab huiusmodi piaculo excusat vulgaris sententia dicentium damna & vitia regiminis non Principi sed eius Administris & Consiliariis fore imputanda, non, inquam, hac excusatio, licet vulgaris, ei prodest, eò quòd ipse non subest sed præest.* 4. Si satis esset acquiescere consiliis suorum, tuti in conscientia erant tyranni occidendo Martyres, quia sequebantur consilia eorum, qui præerant rebus, non tantum politicis, sed etiam sacris: excusandus quoque ab omni etiam imprudentia erit *Roboam* 3. Reg. 12. sequens Consiliarios coætaneos à se assumptos, viros saltem quadraginta annorum, maxime cum cogitare posset senes plerumque esse nimis timidos. 5. Nunquam dabitur bellum ex ulla parte formaliter iniustum, quia nunquam inchoatur sine assensu Parlamenti vel Consiliariorum. 6. Peccare possunt & damnari sequentes quosdam Doctores Theologos, ergo etiam Consiliarios, cum ad hos minus spectet securas reddere conscientias, & sæpe conscientiam minus curent. *Ratio* horum omnium à priori est, imprimis quia nulla datur infallibilis regula conscientie præter Scripturam & Ecclesiam, ergo sequendo Parlamenta & Consiliarios peccari potest ac incurri damnatio: deinde Consiliariorum aliqui sunt boni; alii mali, ergo ad Principem & Superiorem spectat videre, ne per malos in errorem bono publico damnosum inducatur, ergo ipsius est auditis sententiis

tentiis indifferenter rationes perpendere, & si has
 judicet veras, has sequi, si falsas, reprobare; si discer-
 nere nequeat, ulterius inquirere, ad hoc enim est
 navarchus, ut clavum teneat regatque navem, ita
 ferè *Eliz. Fagnanus* in cap. *ne innitavis*, de consti-
 n. 319. ait, *Principes seculi nihil arbitrio suo fa-
 ciunt, sed quid sibi liceat, percunctantur à Theo-
 logis, quos ad sua desideria coacervant sibi ma-
 gistros.*

456

§. III. Utraque sententia habet aliquid veri, nam
 Principes & Superiores, 1. non sunt tuti sequendo
 quosvis Consiliarios, quandoque enim sunt pseudo-
 politici, adultores, non timentes Deum, si modò
 placeant hominibus; hinc non edicunt sincerè, quod
 sentiunt, sed quod putant placere: alii non habent
 pro fine bonum publicum sed privatum suum vel
 suorum: alii omnia pecuniis venalia habent. 2. Nec
 satisfaciunt officio, si per alios faciant omnia, sunt
 enim à Deo, Rep, vel aliis Superioribus constituti,
 ut ipsi regant, & ad hoc electa est ipsorum perso-
 na ac personalis industria, ideòque etiam, si ipsis li-
 berum sit, non debent admittere regimen, nisi sen-
 tiant se ad id sufficienter comparatos esse per Deum
 & naturam: atque in his sentio cum *Eliz.* 3. Ut
 tuti sint, tenentur sepositâ omni reflexione huma-
 nâ eligere Consiliarios, quos putant præ reliquis
 fore prudentes, probos, incorruptibiles, & ejus
 animi, qui sensa sua depromere audeant; ideòque
 etiam relinquenda est ipsis plena libertas edicendi,
 quod sentiunt, nec ostendenda displicentia, multò
 minùs inferendum incommodum, si quid ingra-
 tum protulerint. 4. Tenentur rationes auditas ut-
 rimque perpendere, & quas certò advertunt ve-
 ras, sequi; si verò res incerta sit, per se loquendo,
 possunt sequi consilium probabile suorum, relicto

eo,

eo, quod ipsi judicant probabilius, formando sibi conscientiam secundum dicta n. 307. & 377., atque id evincunt rationes n. 454. allatæ, ad quas accedit, quod facilius sit unum decipi, quàm plures. 5. Etiam possunt contra iudicium suorum sequi illud, quod ipsi bonâ fide putant esse probabilius vel melius: poterit tamen esse res suspecta, si agatur de suo vel suorum commodo, quia se facile insinuat vitiosus amor proprius. 6. Si nollent explere munus suum sed torpere ac per alios agere omnia, rectè ait *Eliz.* minùs malè acturos, si semper velut clausis oculis sequantur communem sententiam suorum Consultariorum, nisi horum vel illorum rationes apparerent esse meliores, quia facilius est pauciores decipi quàm plures. Quòd ad bellum inchoandum attinet, dicitur ad præceptum 5. Decalogi.

Q. 56. *An sit aliquando obligatio sequendi 457*
probabiliorē relictā minùs probabili. R.

§. I. Negant *Vasq.* d. 63. c. 1. *Hann* l. 2. tr. 1. controv. 3. n. *Carden.* in 1. crisi d. 55. à n. 14. & d. 56. à n. 914. *Teril.* in Reg. q. 20. aliique multi, nam universaliter dicunt in omni materia esse licitum sequi opinionem probabilē relictā probabiliorē. *Si opponas,* v. g. Ministrum Sacramenti teneri sequi probabiliorē de valore, *Respondent,* oppositam in istis circumstantiis non esse probabilem nisi speculative, se autem loqui de *practicè* probabili, illam autem vocant *practicè* probabilem, quæ probabiliter asserit licere etiam in his & istis circumstantiis, opinio autem dicens v. g. licere conficere Eucharistiam in pane filigineo, non est probabilis: sed claritùs videmur loqui, si dicamus, quòd sit obligatio sequendi probabiliorē relictā minùs probabili, 1. si minor probabilitas sit tantùm speculativa, uti à n. 117. dictum est. 2. Si obster lex vel mandatum Superioris,

rioris, uti ibidem est dictum. 3. Si contractus vel quasi contractus prohibeat sequi minus probabilem, uti est in Judice &c. 4. Si charitas erga proximum vel seipsum aliter postulet. 5. Si alioqui Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, ita ut aliud postulet reverentia Christo rerum Sacrarum Auctori debita, uti dicitur de Sacramentis: Vide etiam dicenda n. 476.

De Judice, Advocato &c Item de Medico plura addentur l. 4. c. 3., ubi etiam agitur de obligatione Professorum & Concionatorum publicè docentium.

458

§. II. *Th. Sanchez* in Decal. l. 2. c. I. n. 6. *Sporer* hic n. 50. alique docent pro articulo mortis esse obligationem ad sequendam probabiliorem aut saltem tutiorem, etiamsi non adsit alia ratio, quàm quòd sit pro articulo mortis, quia sic videtur suadere charitas erga seipsum, ut in eo momento, à quo pendet æternitas, eligantur tutissima: è contrà *Io. Sanchez*, *Lugo* alique apud *Dianam* p. 2. tr. 13. R. 9. & *Gob.* in *Clypeo* p. 1 n. 162. negant, quia cùm nullum superlit periculum peccati formalis, & sic operans omnino prudenter operetur, non est cur hoc minus possit in morte quàm in vita, hinc *Carden.* in 2. crisi d. 4. n. 8. ait, *sententia illa, quòd liceat sequi probabilem relicta probabiliore, improprie dicitur minus tuta, quia formaliter est tutissima, & solum dicitur materialiter minus tuta, propterea, quòd exponatur periculo peccati materialis, quòd vitare non tenemur: de hoc tamen redibit sermo n. 471. & 475. ubi explicabitur, quo sensu sententia benignior dicatur tutior, & laxiores tutissimæ, quòd hic applicari debet, nam illa obligatio exponeret moribundos gravissimis molestiis, anxietatibus & periculis desperandi, tenerentur enim conari elicere semper actus intensissimos, iterum confiteri omnia delicta & scrupulos, continuè renovare dolorem de peccatis*

catis & petere novam absolutionem &c. Quamvis autem tutius sit in articulo mortis ista facere, tamen non esset tutius sed periculosius, judicare se ad id obligari, uti ibi probabitur, ergo dicendum est esse tantum consilii, ut in eo articulo quantum fieri potest, sequamur etiam materialiter tutiora, quia nempe hoc ipsum valde gratum est Deo, nolle etiam materialiter agere contra ullam ipsius voluntatem.

Q. 37. An è contrà, præter hætenus dicta, sit etiam aliunde specialis obligatio quandoque sequendi unam probabilem relictâ probabiliore vel aliâ similiter probabili. R.

§ I. Dixi à n. 432. ad hoc specialiter obligari subditum; & à n. 443. etiam Confessarium, nunc addo universaliter, quod quivis, qui licite potest, teneatur sequi probabilem relictâ probabiliore, si hoc postulet salus vel emolumentum, præsertim spirituale, proprium vel alienum, ea enim est lex charitatis, ut mihi & proximo profum, ubi licite & commodè possum: v. g. si sequendo sententiam minùs probabilem impedire possim aliquod peccatum proximi, ad id teneor ex charitate, quia id licite possum, secundum dicta à n. 268. & etiam commodè possum, uti supponitur.

§ II. Docent præterea Gob. & Lohner esse specialem obligationem sequendi minùs probabilem in his casibus, nempe si agatur de valore Matrimonii, uti habent plurimi Theologi & Juristæ cum Sanch. de matr. l. I. d. 18. n. 7. Item quando agitur de valore testamenti vel favore religionis, uti habet cum aliis multis Barbofa. Item quando agitur de potestate clavium & jurisdictione Ecclesiæ. Item quando minùs probabilis sententia favet piæ causæ, uti teneant 20. Auctores apud Martham, teste Gob. in clypeo p. I. n. 175. Addit Carden. in I. crisi d. 17., si sine

duæ sententiæ utrimque probabiles, una pro, altera contra immunitatem Ecclesiasticam, legem pro immunitate cenferi debere favorabilem, & legem contra immunitatem esse odiosam, ideóque hanc restringi & illam semper ampliari debere, ac consequenter opinionem probabilem pro immunitate fieri velut certam & esse omnino sequendam. Denique de pœnitentia c. 2. ad dub. 6. ostendam, ubi sunt opiniones utrimque probabiles, per se loquendo, operandum esse potius secundum benignam.

461

Q. 58. *Ex quibus præcipuè libris vel Auctoribus solvenda sint dubia conscientia.* R. *Iansenius in Augustino l. proœm. c. 9. col. 24. sic habet, arbitror S. Scripturæ libris, Conciliis, & primorum sæculorum PP. nos contentos esse debere: Havermans apud Fierlandt c. 3. §. 3. idem dicit, & lectionem Theologorum Scholasticorum ac Moralium reprobat, quia, inquit, antequam prodirent hi Auctores, debuerunt in Ecclesia Confessarii resolvere similes casus, ergo & nunc possunt sine illis. Eliz. 1. 6. q. 15. & 16. fulissimè contendit lectionem Scripturæ & Sacrorum librorum maximè necessariam esse Theologis Moralibus, eos autem libros Casistarum nequidem legendos esse, qui sua non probant ex libris istis sed ex puro suo ratiocinio: Et q. 17. contendit solam*

462

perfectumque Theologum Moralem. *Contrà est I. Etiam antequam SS. PP. essent, antequam esset S. Augustinus aliúsve Ecclesiæ Doctor, fuere Confessarii in Ecclesia, qui resolverent casus conscientia, ergo & frustra legentur isti SS. PP. 2. Ante librum Iansenii, ante Arnaldi tract. de frequenti communione, ante tyrocinium Havermanni, ante methodum Huyghens, ante specimina moralia Gabrielis similésve libros, Confessarii resolverunt casus, ergo & illi libri*

libri legi non debent. 3. Licet fateamur lectionem scripturæ & Sacrorum librorum esse utilissimam, ac etiam necessariam, tamen non ideo rejicienda est aliorum librorum lectio, tum quia illi ipsi libri Sacri explicatione egent, nec continent respectivè ad nos satis clarè omnia; tum quia ipsi SS. PP. inter se sæpe dissentiunt, & consequenter consulendæ sunt rationes ac Auctores alii. 4. Neque ex solis libris Sacris possunt resolvi omnes casus, uti evidenter patet consideranti omnes materias, nam quòd jus positivum attinet, patet multa accessisse & quotidie accedere; quod autem attinet naturale, dic mihi ex solis libris Sacris, quænam sit materia gravis furti, quænam peccata distinguantur specie & numero, quænam sint impedimenta Matrimonii, an census personalis sit licitus, an cambium Francofurtense, Placentinum, Venetum &c. 5. Prudenter præsumimus alios etiam Auctores legisse libros Sacros, & ex eorum mente loqui, licet brevitatè causâ textus omittant, sic legimus Suarez, quem certum est legisse Scripturam, Concilia & PP. 6. Nobiscum sentiunt Sancti ac sapientissimi viri: S. Carolus Borromeus in Instr. Confessar. ait, omnes Confessarios, quamvis à nobis ut idonei semel admissi fuerint, tamen ob graves & diversos scrupulos, qui penitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates sibi coherentes habent, præmonitos volumus, ut bonos & classici Auctores nonnullos, qui casus conscientie ex professo tractant, manibus continuè terant. S. Franciscus Salesius in suis Instruct. distinctè suadet lectionem Casuum, quos digessit Reginaldus: & Epist. 39. commendat librum Casuum Toleti, tanquam brevem, facilem, securum. Synodus Mechliniensis anno 1607. tit. 5. de Sacram. pœnit. c. 5. sic monet, magna oportet esse instructum scientiâ, qui de rebus maximis

463

R 2

ex

ex tempore iudicare debet, ideo Confessarii, quibus non hominis sed Dei iudicium exercendum est, & quidem de animabus pretioso IESU Christi sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde necessariam sibi scientiam hauriant, diligentissimi vacare merito debent utpote directorii Polanci, Manualis Navarrae aut ejus compendii Summae Toletae, Enchiridii Binsfeldii & similium. Rectè monet S. Athanasius d. 2. contra Arrianos his verbis, ne susinueritis eos, qui novis rebus student, etiamsi doctrinae ex Sacris litteris scribant, ne susinueritis hoc genus scriptorum, etiamsi voces orthodoxa fide loquantur, ne ita quidem loquentibus attenditis, non enim recto animo loquuntur, sed veluti indolentium ovium haec verba praefereunt.

464 Q. 59. Quinam precipuè ex Theologis modernis consulendi sint pro solvendis dubiis conscientiae. R.

§. I. Verricelli apud Moyam de op. prob. q. 4. n. 16. dicit consulendos Theologos, in quibus sit aequalis aut major doctrina moralis quam scholastica similiter Bress. Bardi, Bonaspei apud Moyam n. 17. dicunt virum doctum in sola Theologia Scholastica non esse consulendum, nisi simul in morali ac casibus sit versatus. Addit Verricelli, scio frequentissime evenire, ut magni nominis Concionator magna doctrina reputetur, & sine difficultate ad eum tanquam doctissimum Confessarium recurratur, tamen ille in re morali ac casibus conscientiae minime versatus, sit revera indolens, unde seculares falluntur putantes se doctissimum habere Confessarium. Inde infert Moya n. 18. & 19., quantam Reges & Principes debeant adhibere cautelam in deligendis sibi pro negotiis conscientiae Consiliariis & Confessariis.

465 §. II. Consulendi sunt etiam tales, 1. qui non
sunt

fint in iudicio præcipites; quidam enim gloriosum putant, si è vestigio ad casum respondeant, & sæpe impingunt graviter, ac postea ægrè fatentur errorem, & rem difficulter redintegrant: in illis præsertim, quæ à jure positivo pendent, periculosum est subito ferre sententiam; advertique semper, minùs doctos esse Doctores magis Resolutos, sed malè. 2. Qui non profiteantur nec passim sequantur laxitates, nam alioqui multas opiniones habent velut certò probabiles, quæ tamen re ipsa sunt tenuiter, vel dubiè, vel ad summum probabiliter, aut extrinsecè tantùm probabiles, de quibus à n. 366. usque ad 370. dictum est. 3. Qui etiam non affectent nimium rigorem, nam benignos esse oportet directores animarum, uti dicitur de pœnit. ad c. 2. dub. 3., & rigidi illi implicent animas gravissimis molestiis, difficultatibus, scrupulis. Cæteræ dotes Theologi moralis intelliguntur ex dicendis de pœnit. ibidem ad dub. 6., ubi agemus de scientia & prudentia Confessarii.

Q. 60. *An opiniones novæ potiùs docenda & se: 466*
quenda sint, quàm antiqua. R.

§. I. Opinio duplici sensu appellari potest nova, vel quòd opponatur antiquorum DD. opinioni, vel quòd nunc sit inventa, fueritque antiquis incognita: si in primo sensu sit nova, non facilè est præferenda antiquæ, sive in practicando sive in docendo, quia si opinio antiqua tamdiu sustinuerit probam & examen Theologorum, meritò illi plus fidimus. Addit *Elix. l. 7. q. 10. & II. §. 2.* antiquos ex dispositione divinæ providentiæ debuisse in materiis fidei & morum esse minùs obnoxios errori, quàm recentiores, nam si antiqui errassent, fideles non habuissent, à quibus veritatem discerent, nunc autem, licèt errarent recentiores, superessent antiqui, quos legendo, considerando & sequendo possent errores suos deponere.

nere. Si in secundo sensu sit nova, habeatque grave fundamentum, non est ratio, cur securè non possit practicari & doceri, uti rectè cum aliis *Moya* de op. prob. q. 4. § 3.

467 §. II. Præferenda est sententia Juniorum, si decretum, vel consuetudo, vel rationes nova & graves afferantur, quas antiqui non considerant, & tamen præponderent antiquorum rationibus, quæ etiam facillè dissolvantur; ut enim opinio nova sit probabilis, non indiget tempore sed fundamento; & ita, inquit *Gallego* apud *Moyam* n. 11. *Angelicus Doctor multa scripsit & docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt, & tamen ejus opinioniones statim, ac ab ipso tradita sunt, existimantur sunt probabiles.*

468 §. III. Notant rectè *Caram.* & alii cum *Raym.* in Explic. nova libert. p. 2. c. 4. §. 7., posse aliquando plus credi Auctoribus recentibus, qui rem ex professo & accuratiùs examinarunt, quàm antiquis, nam recentes habent hoc, quòd pro ipsis laborarint antiqui, & rationes pro & contra saltem insinuarint, unde cum facillè sit inventis addere, recentiores ulterius pergunt, ibi incipientes, ubi antiqui desierunt, sicque videmus, quòd successu temporis elucescant veritates & detegantur falsitates antiquis incognitæ, uti patet ex dictis, n. 201., nam *temporis filia est veritas*, inquit *Cicero* l. 2. de oratore: ideoque dicit *Quintilian.* *atatem nullam aliam, nascendi sortibus hac esse feliciorum, ut cui erudienda priores omnes allaborarunt.* Quod autem addit *Caram.*, juniores subtilioribus ingeniis præditos esse quàm veteres, eo probans, quia corporis mole & viribus sunt minoribus, hoc solâ enarratione, tumque muto silentio refutandum est, inquit *Gonet.*

469 §. IV. Notandum etiam hîc monitum *Diana* p. 10.

p. Ia. tr. 14. R. 56., qui cum retulisset aliquas opiniones recentiorum, sic subdit, *ô quanta ego haberem & dicerem, quæ novitatum amatoribus nimis plausibilia essent, si calamo & ingenio liberam vagandi facultatem praberem! sed ut sapientissimo Caramueli respondi, Romanus incolatus & aliena pericula cautum in scribendo me fecerunt: & revera opiniones illæ singulares in rebus moralibus contra receptas Ecclesiæ consuetudines vel communes DD. sententias ferè semper malè olent, & passim naufragare videmus, nam vel penes Sacras Congregationes remanent cauterio iniuste, vel postea viri docti non solum illis minimè adherent, sed potius acriter refellunt; rectè itaque Baldus, qui contra omnes, non rectè loquitur. Atque etiam ideo Gosvvinus Nickel Generalis X. scripsit 29. Maji 1657. Epistolam ad totam Societatem JESU, de sententiis laxioribus aliisque exoticis & novis in docendo vitandis: Et similem scripsit etiam Ioannes Paulus Oliva Generalis XI. 2. Decemb. 1662., iterumque 30. Aprilis 1667. de cavendis opinionibus moralibus nimis laxis. vide dicenda n. 510.*

DUBIUM III.

An in dubio tutior pars sit eligenda. 471.

Respondeo. Qui in dubio constitutus post diligens examen se nequit resolvere, non tenetur semper eligere partem tutiorem, sed potest amplecti partem faventem suæ libertati, (etiam minus tutam) dummodo sit in possessione suæ libertatis; juxta illud axioma: *In dubio melior est conditio possidentis.* Ratio est, quia talis non agit temerè, cum utatur suâ libertate: quod cuivis licet, quam-

R 4

diu

" diu non constat esse eâ privatam, cùm eam, ut ex-
 " tera externa bona, possideat. Proindeque volenti
 " obligationem imponere, quæ libertate privet, in-
 " cumbit probatio obligationis contractæ juxta *reg.*
 " II. in 6. Neque huic responsioni obstat axioma
 " contrarium, *In dubio tutior via est eligenda*: quia
 " id intelligitur, si ex una parte sit dubium, ex altera
 " certum, tunc hanc esse eligendam: quòd si autem
 " utraque pars tuta sit, axioma univèrsim non est
 " præcepti, sed consilii, ut *Nav. Sanch. Bon. t. 2. d.*
 " *2. q. 4. p. 9. n. 21. Laym. l. 1. t. 1. ca. 5. §. 4. Fil.*
 " *num. 157. & 160.*

509

" Porro pro regula cognoscendi, quîs sit possessor,
 " attendendum est, pro quo stet præsumptio in foro
 " externo, is enim censetur possidere: præsumptio
 " autem censetur stare pro ea parte, quæ onus pro-
 " bandi in aliam transfert, *Bardi d. 5. c. 5.* Unde cum
 " *Sanch. Lay. l. c. & aliis, resolvuntur Casus se-*
 " *quentes.*

" I. Dubitatur post sufficientem diligentiam ad-
 " hibitam, an lex sit imposita, v. g. jejunii; item, an
 " votum vel juramentum sit emissum: non obli-
 " gatur dubitans. Ratio, quia cùm lex & votum, ut
 " obligent, debeant sufficienter proponi, meritò hic
 " præsumitur non esse: ideoque dubitans manet in
 " possessione suæ libertatis, *Suar. Fil. Lay.* Contra
 " verò si vovisse constet, & dubitetur, an satisfecerit,
 " tenetur satisfacere, quia tunc votum est in posses-
 " sione. Similiter dubitans an Horas legerit, tenetur
 " legere, quia præceptum est in possessione. Ita
 " *Sanch. Lay. Bon. l. c. Fil. n. 163.*

" II. Qui certus est de lege & voto, dubius tamen,
 " an & quid comprehendatur lege, aut voto; ut, si
 " sciat se vovisse religionem, dubitet autem, utrum
 " certam, an verò in communi tantum; Item, vovit
 " absti-

abstinere à copula, dubitat verò an omni, an ab illi-
cita tantùm; non tenetur voto, quoad partem, de
qua dubitat.

III. Si constet de lege, dubium autem sit, an re-
cepta vel abrogata, vel tu ab ea eximaris: teneris le-
ge. Ratio, quia cùm constat de lege, pro ea fiat
præsumptio & possessio, proindeque alleganti eam
non esse receptam vel abrogatam, incumbit onus
probandi; ideoque dum non probat, lege tenetur,
Lay. l. 1. t. 4. c. 3. Sanch. Fil. contra Salas & A-
zor, qui docent, si dubites, an lex sit acceptata, eâ
te non teneri.

IV. Qui dubitat, an vigesimum primum an-
num expleverit, non tenetur jejuniis, quia libertas
est in possessione; Contrà verò res habet, si dubi-
tes de ætate ad Ordinem sacrum vel beneficium
requisita, quia præsumptio & possessio est pro præ-
cepto: ideoque non potes recipere, donec de ætate
constet, *Lay. l. 1. t. 1. c. 5. n. 35. Sanch. l. 2. de*
matr. d. 41. n. 38.

V. Si cras sit jejuniis, & post examen dubitas,
an sit audita duodecima noctis, potes cænare, & car-
nibus vesci, quia libertas est in possessione: Contrà
verò, si hodie sit jejuniis & dubitas, an sit duode-
cima noctis, non licet, quia præceptum est in pos-
sessione; cùm constet hodiernum diem esse jejunii,
& dubium sit, an transactus, *Sanch. l. c. n. 40. Laym.*
l. c. Quæ omnia intellige de dubio strictè sumpto:
si enim sit ratio dubium deponendi, v. g. quia ali-
qua horologia sonuerunt duodecimam, alia non,
cessat ratio data: cùm enim duo horologia sint
quasi duo Doctores, seu opiniones probabiles, licet
utrumlibet sequi, nisi sciam unum errare, *Lay. &*
alii communiter.

VI. Si dubites, utrum mediam noctem cœnan-

"do excefferis, vel masticando aliquid deglutiveris,
 "non licet celebrare, vel Eucharistiam sumere,
 "Sanch. n. 40. Fagund. p. 3. l. 3. c. 5. n. 18. tum, quia
 "lex jejune sumendi est in possessione; tum, quia
 "gravis est irreverentia. Quanquam contraria sen-
 "tentia, Laym. n. 36. probabilis; Diana verò, p. 3.
 "tract. 4. R. 29. tuta etiam in praxi videatur; eò
 "quòd Ecclesia in casu dubio, non videatur tam ar-
 "ctè constringere conscientias: & in dubio, factum
 "præsumi non debeat, neque censeatur irreverens,
 "qui juris præsumptionem sequitur, vide infra lib.
 "6. tit. 3. c. 2. d. 2. a. 2, & Lugo d. 15. n. 41.
 "VII. Si post contractum bonæ fide Matrimo-
 "nium, dubium de valore superveniat, quod post ve-
 "ritatis inquisitionem depelli non possit, debitum
 "non tantum reddi, sed etiam exigi potest, quia
 "dubium superveniens, bonæ fidei possessori obesse
 "non debet, vide Sanch. n. 47. Bonac. l. c.
 "VIII. Qui certus est de debito, & dubitat, an
 "solverit, tenetur solvere, Suar. Vasq. Lug. Dian. p.
 "3. t. 6. misc. R. 49. nisi etiam creditor dubitet;
 "tunc enim Tan. in 1. 2. d. 2. q. 6. d. 4. putat non
 "teneri: quod Laym. n. 42. ita limitat, ut teneatur,
 "non ad integram solutionem, sed partem ejus pro
 "qualitate dubii: quod Dian. p. 4. t. 3. R. 32. am-
 "plectitur ut probabile.

A D D E N D A.

471 **D**ubio præcedente quæsitum est, an sit obliga-
 tio sequendi sententias probabiliores, hic quæ-
 ritur, an sit obligatio sequendi tutiores; sæpe enim
 fieri potest, ut sententia tutior sit minus probabilis,
 & probabilior sit minus tuta, uti dicitur n. 472. &
 483. Dubium hoc non est ita difficile, uti præcedens,
 fecerunt

fecerunt tamen illud controversum aliqui, præsertim ex Gallia, qui existimantes sententiam de usu licito opinionum probabilium faventium libertati contra legem incertam, esse fontem omnium laxitatum in Theologia morali, zelo bono, sed non secundum scientiam moti, voluerunt semper standum esse pro lege licet incerta contra libertatem. Ut hæc rectè intelligantur, sit

Q. 61. *An omnes opiniones sint æquè tutæ; & quænam censeantur tutiores. R.*

§. I. Io. Sanch. *Caram. Ills. t. I. d. 1. n. 66.* aliique multi apud *Moyam* de op. prob. q. 6. §. 7. dicunt omnes verè probabiles esse æquè tutas quoad imputabilitatem, quia sive quis operetur secundum hanc sive secundum illam, certus est se nullo modo peccare: sed *contra* est, nam in primis non omnes sunt æquè tutæ materialiter, uti certum est, quia licet operans secundum hanc vel illam nullo modo peccet formaliter, operans tamen secundum illam, quæ reipsa falsa est, peccat materialiter contra legem, licet hanc invincibiliter ignoret, quia facit hoc, quod reipsa est prohibitum, & in se displicens Deo. Deinde quamvis operans secundum probabilem faventem libertati, moraliter sit certus se non peccare formaliter, uti dubio præced. dictum est, tamen operans secundum probabilem faventem legi adhuc est certior, quòd hoc agendo non peccet formaliter, est enim de hoc quasi metaphysicè certus, ergo in ultimo casu format dictamen conscientia longè certius & firmiter, dictamen autem certius & firmiter magis removet à periculo peccandi formaliter, ergo hoc sensu una opinio probabilis est etiam formaliter tutior, quàm altera, uti rectè *Moya* n. 56.

§. II. Illa opinio dicitur tutior, quæ magis recedit à periculo legis tam materialiter quàm formaliter

liter violandæ aut alterius mali incurrendi, v. g. hæc, non est licitum habere plures præbendas, est tutior, quia qui secundum hanc opinionem non habet plures præbendas, certò non ideo peccat; è contrà si habeat plures, fortè ideo peccat materialiter, quia fortè illicitum est habere plures, quamvis etiam supponamus ipsi probabilius esse, quòd sit licitum habere plures; ex quo patet opinionem probabiliorem non semper esse tutiorem, quia potest esse falsa, ac consequenter inducere in peccatum materiale, à quo removet opposita minùs probabilis.

473 §. III. Illa dicitur minùs tuta, quæ minùs removet à periculo legis saltem materialiter violandæ aut alterius mali incurrendi, uti illa, licitum est habere plures præbendas, secundum jam dicta. Quandoque *Tò minùs tuta*, significat idem, quòd non satis tuta nec licitè practicabilis, quod colligendum est ex circumstantiis verborum.

474 §. IV. Si ex utraque parte sit periculum peccati, illa est tutior, quæ removet à majore periculo simpliciter, vel à periculo majoris peccati, v. g. invenis moribundum dubiè dispositum, quem si non absolvas, exponis te periculo peccandi contra charitatem, quia non succurris proximo in extrema fortè necessitate periclitanti de salute; è contrà si absolvas, exponis te etiam periculo peccandi, quia fortè conficies irritum Sacramentum, quæ est irreverentia in Auctorem Sacramenti: in hoc casu opinio tutior est, quæ dicit absolvendum, quia non absolvendo, imprimis incurris majus periculum peccandi saltem materialiter, quia longè probabilius est te in eo casu teneri absolvere saltem sub conditione: deinde exponis te periculo majoris peccati, nempe contra charitatem, quæ est prima virtus, & excusat, si quæ fiat materialis irreverentia occasione Sacramenti propter homines instituti.

§. V.

§. V. *Caramuel* putat opiniones laxiores, si sint verè probabiles, esse omnium tutissimas, quia si quis velit sequi strictiores, obligabit se & alios ad res difficillimas, ac continuò exponet plurimis periculis peccandi, partim ex malitia, partim ex negligentia, partim ex fragilitate humana: *sed* Auctor ille non sumit, *tutius*, in ea significatione, in qua jam defini- vimus, nam certum est, quòd sequens sententiam rigidam faventem legi magis recedat à periculo peccati tam materialis quàm formalis, & sequens laxam faventem libertati magis se exponat periculo peccati saltem materialis; Unde *Ess.* in app. a. 219. & seqq. rectè ista sic componit, ut fateatur tutius esse operari hoc, quod vult rigida sententia, attamen periculosius esse operari ex obligatione rigidæ sententiæ, sicuti tutius erat Christianos abstinere à cibus lege veteri prohibitis, uti volebat *S. Petrus*, attamen periculosius erat eos abstinere tanquam ex obligatione, hinc *S. Paulus* in faciem restitit *Petro*, uti expendit *S. Th.* lect. 3. ad c. 2. Epist. ad Galatas. In eundem sensum dicit *Silvest.* 4. Confessio 2. q. 2. n. 4. licet sit tutius statim confiteri quàm differre, non tamen tutius est tenere, quòd sic obligemur, quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi: & ideo etiam *Palav.* I. 2. d. 9. q. 4. a. 2. n. 12. sapienter dixit, *lex, per quam iuberemur facere omnia optima, esset pessima & inobservabilis, ac perpetua causa peccati & damnationis.* In eundem sensum ait *Suar.* T. 2. de relig. t. 4. l. 2. c. 33. n. 3. loquens de benigna interpretatione juramenti, *neque tunc omittitur pars tutior, quia hac est tutissima & practicè certa, & secundum rectam rationem & interpretationem potest dici tutior, quia majus periculum animarum incurreretur, si tot vincula in casibus dubiis, eis injicerentur.* Vide dicenda n. 410.

476

Q. 62. *An sit obligatio in quibusdam materiis sequendi partem tutiorem.* R. Affirmativè, nam,

§. I. Est obligatio sequendi tutiora in illis omnibus materiis, in quibus, etiam si adsit ignorantia invincibilis, nec pars probabilis, nec etiam probabilior juvat ad hoc, ut obtineatur finis intentus, ad quem procurandum est obligatio: sic in illis, quæ sunt de necessitate mediæ ad salutem, uti est v. g. baptisimus in aqua naturali, per hæc verba, *ego te baptizo &c.*, est obligatio sequendi partem tutiorem, quia si circa illa erretur, etiam invincibiliter, & sequendo opinionem probabiliorem, hæc nihil juvant, nec facere possunt, ut vel talis baptisimus non sit necessarium medium salutis, vel ut reipsa sit positus, si quid substantiale omittatur. Idem est in administratione & susceptione Sacramentorum, si enim sint opiniones oppositæ circa aliquid concernens valorem, sequenda est tutior, quia minus tuta, licet fortè sit probabilior, & quis bonâ fide secundum illam operetur, facere non potest, ut vel tale aliquid non sit de valore Sacramenti, vel Sacramentum sit validum, si illud omittatur, uti pluribus dicitur de Sacramentis. Similiter Medici, Advocati alique similes, qui per contractum vel quasi contractum se obligarunt ad procurandam alicui sanitatem vel victoriam causæ, hoc ipso se obligarunt ad adhibenda media, quæ judicaverint tali fini accommodatiora, qualia sunt, quæ judicant esse tutiora, licet fortè occurrerent etiam alia probabiliora vel plausibilia; mens enim illorum, qui ipsorum operam conducunt, est, ut talem finem, quantum poterunt, tutissimè assequantur, ad quod nil faciet opinio probabilior aut plausibilior, nisi simul sit tutior: & idem est in aliis similibus materiis.

477

§. II. *Etiam esset obligatio sequendi tutiora, si*
quis

quis ad hoc se obligasset voto, vel ad id adstrictus esset per legem aut per mandatum Superioris, uti per se patet.

Q. 63. Quibus argumentis probetur licitum esse 478
in aliis materiis sequi opinionem probabilem relictam tutiore. R. In primis, eisdem ferè, quibus à n. 268. probavimus licitum esse sequi probabilem relictam probabiliore; deinde etiam aliis, quibus simul sumptis puto sententiam nostram esse demonstratam, sunt autem sequentia,

§ I. Rectè sic argumentatur *Moya* de op. prob. 479
q 5. §. I., Ecclesia & Pontifices dispensant in votis solennibus contra opinionem tutiorem *S. Thoma*, qui negat id licere: Item dispensant in Matrimonio rato, non obstante tutiore *S. Bonav. Scoti* & aliorum etiam negantium id licere: Item Cap., *laudabilem*, de frigid. & malef. dicit Ecclesia, impotentes posse ad triennium experiri usum copulæ, ubi tamen in dubio de valore contracti Matrimonii tutius esset abstinere: Item subditus in dubio belli iniusti licitè militat secundum *S. Aug.*; & quivis subditus in dubio, an imperetur aliquid illicitum, licitè obedit, uti dictum est à n. 432. & tamen tutius esset ista deprecari à Superiore: Item adversarii acceptant Præbendas, ducti opinione incertâ, an sint digniores, quàm cæteri, cum tamen tutius esset abstinere: Denique omnes SS. PP. & speciatim *S. Th.* docuit aliqua minùs tuta tanquam licita, uti evidenter ostendunt *Moya* §. 3. & *Carden.* in I. crisi d. 66. à n. 378. v. g. non esse obligationem statim confitendi mortale, per haustum non frangi jejunium &c. ergo.

§. II. Id licere, docent Auctores communissimi 480
mè, non tantùm illi, qui dicunt licere sequi minùs probabilem, quorum plurimos recensuimus n. 269., sed etiam illi, qui volunt sequendam probabiliorem,

rem,

rem, exceptis paucis, quorum præcipuos adducemus, q. seq; Est autem prudentis sequi communem sensum DD. ferè omnium, uti n. 270. dictum est, nam si illi prudenter ita docuerunt, nos prudenter eos in operando sequimur, uti à n. 285. probatum est, ergo.

481 §. III. Nullam possumus invenire legem, que obliget ad tutiora, aut saltem lex illa non est sufficienter promulgata nec nobis applicata, ergo prudenter judicamus, vel non esse talem legem, vel saltem nos per illam non obligari, uti dictum est à n. 272. Ac consequenter nos excusat ignorantia invincibilis, uti ibidem à n. 282. est dictum; & Deus permittit nos operari secundum minus tutam, uti à pari de minus probabili dictum est ibid. à n. 291.

482 §. IV. Qui operatur secundum probabilem religiam tutiore, operatur prudenter, quia operatur ex gravi fundamento, imò ex majore fundamento, est enim certum, quòd ex auctoritate & ratione longè probabilius fit ita licere operari quàm non licere, ergo operatur licite, secundum dicta ibid. à n. 289. & 298.

483 §. V. Idipsum videtur manifestè sequi ex prop. ab Alex. VIII. damnata, *non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*: ex qua damnatione sic argumentor, licitum est sequi inter probabiles probabilissimam, sed probabilissima non semper est tutior, ergo licitum est sequi, non semper tutiorem. *Maj.* est certa, cum sit contradictoria damnata: *Min.* etiam certa est, patetque in exemplo, v. g. una sententia dicit obligari nos confiteri statim post mortale commissum, alia negat; negans est probabilissima, affirmans est tutior, neque tamen quisquam dicit omnes peccare, qui non sequuntur affirmantem, alioquin omnes peccarent de novo mortu

mortaliter, qui mortale commissum statim non confiterentur.

Respondent. Ideo damnari propositionem illam, quia indefinitè negat licitum esse sequi probabilissimam, cum licitum sit sequi in necessitate & materia facti, v. g. si probabilissimum sit aquam, quam habes, esse naturalem, potes baptizare. *Contra* est, 1. Nemo unquam dubitavit, quin licitum sit sequi probabilissimam in necessitate, in hac enim licitum est sequi etiam minùs, imò & tenuiter probabilem, uti n. 366. est dictum; neque propositio damnata loquebatur de casu necessitatis, ergo damnatio etiam non est eò detorquenda. 2. Ideo licitum est sequi probabilissimam in materia facti, quia illa probabilissima fundat prudens dictamen ultimum conscientia, sed idem est in materia juris, uti patet, si applicentur dicta à n. 303., ergo. Hinc

§. VI. Ex eadem damnatione conficitur hoc argumentum; si non esset licitum sequi probabilem relictâ tutiore, foret ideo, quia in probabilitate non posset fundari prudens dictamen practicum, atqui in probabilitate potest fundari prudens dictamen practicum, ergo. *Max.* est Adversariorum. *Min.* præterquam quòd probata sit à n. 303., etiam hic probatur argumento jam insinuato, nam probabilissima inter probabiles est tantùm probabilis, cum non excedat fines probabilitatis, sed in probabilissima inter probabiles, fundari potest prudens dictamen practicum, ergo. *Min. prob.* ex citata damnatione, quia secundùm quam licitè operor, debeo in illa fundare prudens dictamen practicum, atqui secundùm probabilissimam licitè operor, ergo.

§. VII. In materia fidei non est obligatio sequendi tutius, nam in materia de Conceptione B. Virginis, licitum est credere esse Immaculatam, est etiam

S

licitum

licitum Dominicanis contrariam sententiam tenere, quamvis tutius foret iudicium suspendere; ergo etiam in materia morum non est obligatio sequendi tutius, materia enim fidei est majoris momenti; & si eodem modo non liceret in materia morum, peccarent, qui ad honorem Immaculatæ Conceptionis erigerent altaria, recitarent officia &c., quod certò falsum est.

486 3. VIII. Obligatio semper sequendi tutiora esset onus irrationabile, certum enim est dubia circa leges esse frequentissima, siue leges ejusmodi dentur siue non; ergo qui homines in omni dubio obligat ad tutiora, certò inducit plurimas leges, quæ non sunt à Deo, sicque addit ad verbum Dei, & onera indèbita imponit super humeros hominum, quod Scriptura prohibet *Deut. 2. v. 4.*, & sæpe alibi. *Si dicat*, etiam illum, qui universaliter negat obligationem sequendi tutiora, tollere aliquas leges, quia certum videtur, quòd aliquando sit lex pro parte tutiore; *Contrà* est, quando illa est, eam agnoscimus, uti à n. 476. dictum est: in aliis autem casibus dubiis dicimus illam, si detur, non obligare proximè, eò quòd non sit sufficienter applicata, uti pluribus ostensum est à n. 273., quod non est eam tollere, si enim est lata, manet, & etiam nos obligabit proximè, si ejus notitia satis innotuerit.

487 § IX. Eadem obligatio semper sequendi tutiora esset onus intolerabile, nam sic nunquam possemus sequi opinionem etiam probabiliorem *S. Aug.* vel *S. Thoma* vel quorumcunque DD., faventem libertati contra legem; teneremur omni tempore elicere fidem, spem, amorem Dei, contritionem; teneremur omnes actiones semper actu & formaliter referre ad Deum, omni die festo conteri de peccatis, confiteri omnes circumstantias aggravantes, amplecti

plecti omnia consilia evangelica : item teneremur ad omnes sententias rigidiores in materia jejunii, Horarum &c ; Superiores non audent plurima præcipere, nec subditi obedire, ubi esset etiam minus probabile periculum peccati ; Medici non audent præscribere medicinas , quia plerumque nesciunt, quænam sit tutior, foretque tutius omnino nullam adhibere ; si Cajus per culpam venialem intulerit damnum Titio, Cajus tenebitur restituere, ne pergat esse injurius Titio , neque tamen poterit acceptare Titius, ne rem non suam acceptet titulo justitiæ &c. ; vix ullus posset absolvi, quia vix ullus habet propositum semper sequendi tutiora , hæc autem omnia sunt contra communem sensum & praxin fidelium. Denique nec adversarii semper docent , & multò minus semper practicant tutiora, uti experientiâ patet, quia id nempe est impossibile. *Sunt etiam in nobis, inquit S. Ambr. in Ps. 118., qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam , statuentes duriora præcepta , quæ non possit humana conditio sustinere : timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplina, opus virtutis exigere ; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur nature, non æstimant possibilitatem.*

§ X. In dubio particulari, an aliquid faciendum 488
sit sub peccato neene, standum est pro parte benigna, uti n. 294. dictum est, ergo multò magis in hoc dubio universalissimo & strictissimè restringente possessionem humanæ libertatis. Videri potest *Moya* torâ q. 5., ubi n. 6. dicit sententiam oppositam vergerè in totalem animarum perniciem.

Q. 64. *Qua sint, & quomodo solvantur argumenta sententiæ contrariæ.* R. Præter illa, ad quæ dub. præced. respondimus, præcipuè sunt sequentia :

Objiciunt 1. Est obligatio sequendi tutiora in quibusdam materiis, uti n. 476. dictum est, ergo in omnibus. *R.* n. conseq., quoad materias n. 476. notatas non juvant nequidem major probabilitas, neque ignorantia invincibilis, ut obtineatur finis intentus, uti ibi dictum est; in aliis materiis juvant probabilitas & ignorantia invincibilis, non tantum ad evitandum formale peccatum, uti à n. 268. probatum est, sed etiam ad honestè operandum, ut etiam probatum est ibidem, & à n. 14.: Atque hic est totus immediatus finis ejusmodi aliarum opinionum Moralium circa alias materias versantium.

490 *Obji.* 2 Multi Canones & SS. PP. dicunt *tutiora esse sequenda: tenendum certum, dimittendum incertum: in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus: in dubiis semitam debemus eligere tutiorem: in iis, quæ ad animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves morsus conscientia, pars securior tenenda est,* uti habet *Clemens V. Cap. Exivi, in Clement., de verb. signific. similiter Scotus in prologo ad libr. sent. q. 2. in fine sic habet, si objicias, multa in actibus humani sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum & expositorum, respondet, non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus tanquam à periculosissimis debet homo sibi cavere & custodire se, ne homo, dum se exponit periculo, incidat in peccatum: quod si noluerit querere salutem, sed non curando exponat se periculo, ubi forte de genere actus non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter se tali periculo exponendo. *R.* Ista dicunt pro quibusdam casibus, v. g. quando in quæstione facti ponendi, agitur de valore actus, aut quando sententia opposita est tantum dubia & non verè probabilis, aut quando manet dubium practi-*

practicum & nequidem per motiva reflexa formari potest dictamen practicum, denique sæpe talia dicunt per modum consilii, c, dicunt ista pro omni casu, quando est quæstio juris, & quando oppositum est verè probabile, potèstque ob novas circumstantias & motiva reflexa formari conscientia, denique dicunt semper per modum præcepti, n, Videri possunt *Moya de op. prob. q. 6. n. 34. & Carden. in I. crisi d. 56. à n. 1065.*, ubi adducunt gravissimos Auctores testantes ejusmodi regulas plerumque esse tantùm de consilio: sufficiat *S. Antoninus in Summa I. p. tit. 3. c. 10. §. 10. Reg. 6.*, ubi sic habet, *eligere viam tutiorem consilii est non præcepti.* Videri potest etiam *Essp. in app. ab a. 165. usque ad 187.* Item *Teril. in Reg. q. 54. à n. 60.*, & iterum q. 55., ubi accuratissimè ad illas citationes aliàsque plures respondent. *Clemens V.* dicit hoc tantùm pro consilio, ne remorsus conscientia orientur, quia saltem indocti timere possunt, an non fortè operentur cum dubio aut ex opinione non strictè probabili. *Scotus* ibi tantùm agit de illis, quæ sunt & manent operanti dubia, etiamsi cognoscantur oppositæ DD. opiniones; nos loquimur de operante cum judicio prudente de probabilitate opinionis, & inde formante sibi conscientiam practicam. Alia, quæ ex *Scoto* adducit *Gonet*, nihil concludunt, uti rectè ostendit *Essp. a. 163.*, potestque etiam de mente *Scoti* videri *Teril. hîc q. 22. à n. 151.*

Obji. 3. Omnis prudens in negotiis temporali- 491
bus eligit partem tutiorem, v. g. imprudens esset,
qui sciens viam A. esse securam à latronibus, ingre-
deretur viam B. latronibus quandoque infestam;
item, qui medicinam certò sanaturam relinqueret,
& uteretur aliâ probabiliter tantùm sanaturâ; hi alii-
que similes ideo imprudenter agerent, quia non eli-

gerent tutius; ergo id multò magis valet in via salutis & in negotio animæ, ita *Mercorus. R. n.* conseq. disparitas est manifesta, nam in negotiis temporalibus idem damnum sequitur, siue error meus sit vincibilis siue invincibilis, siue formalis siue materialis tantùm, neque est aliquid, per quod removeatur periculum talis damni, v. g. opinio mea, quâ judico viam B. non habere latrones, me non reddit securum, si reipsa in ea sint latrones, quia latrones remove non potest, neque facere, ut non noceant; similiter opinio, ex qua eligo medicinam hanc præ illa, non potest facere, ut illa, quam eligo, sit salubrior: è contrà in via salutis & in negotio animæ habeo aliquid, per quod removeatur periculum damni siue peccati formalis, quia suppositâ probabilitate opinionis faventis libertati & ignorantia invincibili legis contrariæ, prudenter formo dictamen conscientia, ex quo licitè operor, secundùm dicta à n. 268 & à n. 303.

492

Inst. Videns à longè se aliquid movere, & nesciens, an sit homo an fera, quamvis probabilius putet esse feram, imprudens est, si jaculetur, nam si revera esset homo, jaculando fieret homicida, ideoque debet tutius amplecti & non jaculari, ergo etiam homo semper imprudenter agit relinquendo tutius, quamvis etiam vellet amplecti id, quod est probabilius, ita *Baronus. Conf.* nam hortulanus, qui supra murum ejicit parvum lapidem, prudenter agit, quando probabiliter putat neminem esse post murum; è contrà agit imprudenter, si ejiciat magnum lapidem, quo posset occidere eum, qui ibi esset, quamvis hinc & nunc probabiliter judicet neminem ibi esse; sed ideo imprudenter agit, quia non agit tutius, ubi periculum est damni gravis, ergo similiter ubi est periculum agendi contra legem Dei. *R. n. conse-*

conseq., quamvis enim probabilius sit esse feram, tamen probabile non est licere jaculari, adeoque probabilitas illa non est practica sed speculativa tantum; cujus *Ratio* jam data est, quia opinio jaculantis non potest remove periculum occidendi, neque hic est aliquid, quo impediatur homicidium, si reipsa sit homo, ergo sic jaculans exponit se periculo probabili occidendi hominem, ergo peccat formaliter: oppositum est in nostro casu, uti paulò antè dictum est. *Ad Conf.* est eadem responsio, quamvis enim speculativè probabile sit neminem esse post murum, tamen non est practicè probabile, quòd sit licitum ejicere ejusmodi magnam lapidem, si prudens ratio sit timendi, ne ibi sit homo, nam hortulanus ille potest rescire veritatem & videre, vel saltem inclamare, an fortè ibi non sit homo, ergo non excusatur per ignorantiam invincibilem; deinde illa opinio sua, quòd ibi non sit homo, nec potest facere, ut ibi non sit homo, nec cavere damnum, si fortè ibi sit homo, ergo illicitè projicit: oppositum est in casu nostro, uti n. 491. dictum est. *Videri potest Teril. in Reg. q. 39. à n. 18.*

Obj. 4. Ex lege charitatis tenemur observare 493
mandata Dei, quantum possumus, sed qui non sequitur tutiora, non observat mandata Dei, quantum potest, ergo. Ita *Mercor. R.* Tenemur, quantum absolutè possumus, n, hoc enim est tantum consilii & perfectionis: tenemur quantum possumus, cum moderamine, id est, eo saltem modo, ut caveamus omnem offensam formalem Dei, c, hoc autem facit, qui sequitur probabilem relictà tutiore, uti constat ex sæpe dictis.

Obj. 5. Illa opinio est eligenda, quæ nullum 494
habeat dubitandi locum, seu cui nulla subsit suspicio, quòd res sit illicita, sed hoc facit sola opinio tutior,

ergo. ita *Baron. R. 1.* Si argumentum valet, ergo eligi non potest probabilissima stans pro libertate contra legem. *R. 2. n. maj. vel dist.*, quæ nullum habeat dubitandi locum, quantum est ex vi motivorum iudicii directi, n, si spectentur motiva iudicii reflexi & dictaminis ultimi, c, & patet ex dictis à n. 303.

495 Q. 65. Quid notandum sit circa hoc axioma; In dubio melior est conditio possidentis, *R. Sequentia,*

§. I. Traditur hoc axioma in *Regulis Juris: Reg. Juris 65. in 6. In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis: ff. de Reg. Juris Reg. 128. In pari causa possessor potior haberi debet.*

496 §. II. Hoc axioma fundatur in jure naturæ, uti rectè *Carden. in I. crisi d. 56. n. 1241.*, sic enim, etiam præscindendo à legibus humanis, foret contra jus naturæ possessorem spoliare suâ re propter superveniens dubium: Item contra jus naturæ foret, si debitor dubius, qui rem suam possidet, deberet præstare certam solutionem: & rationes dabuntur n. 500.

497 §. III. Sensus illius axiomatis est, quòd quando neutra pars sufficienter probatur, possessoris causa debeat sustineri, uti explicat *Lugo de just. d. 17. n. 94.*

498 §. IV. Pro foro interno non habet locum in possessione malæ fidei, quia nec jus naturæ nec positivum vult, ut quis ex delicto suo reportet commodum: pro foro tamen externo, etiam malæ fidei possessor quandoque defenditur, usquedum probetur rem non esse ipsius, uti dicitur l. 3 p. 2. n. 100. & 101.

499 §. V. *Lugo in Resp. Mor. l. 1. dub. 4.* contendit non tenere, nisi ubi est par jus & similis causa: similiter *Teril. in Reg. q. 56. n. 14.* ait, si ex una parte videatur esse jus probabilius, Regulam, prout præcet in terminis, non ita fervire, uti in casu dubii aut causæ paris: Item n. 27. dicit non habere locum, si Judex vel privatus existimet probabilius esse, quòd jus

jus non fit possessoris : rectè tamen etiam dicit n. 24., licèt mihi probabilius fit rem ab alio possessam esse meam, non ideo mihi licere privatâ auctoritate eam vindicare, uti dicitur l. 3. p. 2. n. 469.

§. VI. Tenere in materia justitiæ censent com- 500
muniter omnes contra *Adrian. Sot. Arrag.* & pau-
cos alios : hinc Auctores reliquicū *Teril.* n. 2. in-
ferunt, si post inquisitionem veritatem permaneat du-
bium, possessorem justè retinere totum, tum quia
ita declarant Regulæ Juris citatæ, tum etiam quia
possidens est veluti Reus, alter autem, qui est peti-
tor, est actor, habetur autem Reg. 154. ff. de Reg.
Juris, *Cum par delictum est duorum, semper onera-
tur petitor & melior habetur possessoris causa.* Item
Reg. II. de Reg. Juris in 6. *Cum sunt partium jura
obscura, Reo favendum est potius quàm actori.* Ra-
tiones aliæ sunt, imprimis quia uterque æqualis est
quoad reliqua, ergo possessio, quæ uni competit,
facit hunc prævalere : deinde ad bonum commune
& publicam quietem spectat res non facilè immu-
tari, sed manere in statu, in quo inveniuntur, uti
rectè *Palav. Bress. Eliz.* l. 4 q. 12. §. 4. Præterea,
quævis possessio fit quid indifferens ad jus & non
jus, cum jus possit esse sine possessione, & possessio
sine jure, ideoque possessio ratione sui præcisè non
reddat jus in se nequidem probabile, sed relinquat
rem in dubio speculativo, uti rectè *Teril.* à n. 15. con-
tra *Eliz.*, tamen possessio causat quandoque titulum,
si enim fit diuturna, fit usucapio seu præscriptio ex
vi legum ita statuentium, ne dominia maneant sem-
per incerta, unde ubi est possessio, est aliqua præsum-
ptio antecedentis tituli sive juris, inquit *Sanchez*,
ideoque formari potest conscientia de licita reten-
tione rei possessæ : Denique quia meritò plus requi-
ritur ad auferendum aliquid ab aliquo, quàm ad re-
linquen-

linquendum habenti, inquit rectè *Eliz.*, ergo standum est pro possidente. Addit *Teril.* n. 7. petitorum non posse habere jus, nam jus includit legem faventem huic & gravantem alios, quam non habet petitor, cùm ei faveat tantùm dubia lex, quæ non obligat secundùm dicta à n. 272. & 274. *Nec obstat.* quòd multi doceant titulum possessionis non sufficere Conjugi ad petendum debitum in dubio de valore Matrimonii, nam etiam multi tenent oppositum, uti dictum est n. 268; Hoc tamen dato, disparitas est, quòd lex absolute vetans copulam, nisi resciamur de valore Matrimonii, sit in anteriore possessione, è contrà non constat de ulla lege priore favente petitori & gravante possessorem, sed potius constat de lege opposita favente possessori contra quemcumque alium.

501 §. VII. Quamvis pro possessore non sit probabile argumentum, si tamen pro petitore non sit argumentum nisi probabile, possessor adhuc licitè retinet, quia possessio est jus certum retinendi, & contra legitimam possessionem non prævalet nisi certitudo, uti pluribus dicitur l. 3. p. 2. n. 463.

502 §. VIII. Axioma illud valet, non tantùm in materia justitiæ, sed etiam in aliis, ita *Suar.* l. 2. tr. 3. d. 12. l. 5. n. 8. & de censur. d. 40. l. 5. n. 15. *Sanct.* in decal. l. 1. c. 10. à n. 10. & de matr. l. 2. d. 41. n. 32. *Castrop.* d. 3. p. 6. *Ovied.* contr. 4. p. 6. *Dicast.* de Euch. d. 9. n. 299, item de cens. d. 8. à n. 24. item de matr. d. 9. à dub. 11. *Lugo* de just. d. 17. n. 87. & d. 23. n. 110. *Teril.* hic q. 23. & 26. Item in Reg. q. 57. *Io. Sanct.* in select. d. 42. n. 7. *Banholt.* n. 55. *Stoz.* l. 1. p. 5. n. 125. citans alios, & dicens esse plurimorum. *Moya* de op. prob. q. 6. à n. 15. apud quem plures quàm 30. tenent nobiscum; consentiunt *Bonac.* *Tann. Fil. Diana.* *Sporer.* n. 75. vocans nunc receptam
Item

Item *Laurent. n. 139.* saltem si materiæ illæ in primo sui esse pendeant à libertate nostra. Est autem contra *Azor, Vasq. Salas, Turr. Comit. Sayr. Peretz, Verjus, Mercor. Gon. Eliz 1. 4. q. 13. Gonz. d. 7. §. 12. Camargo p. 1. l. I. contr. 9.* qui dicunt tantum valere in materia justitiæ: sed *Probatur*, nam imprimis valet in materia obedientiæ, cum enim Superior sit in possessione potestatis ad imperandum, subditus in dubio, an id, quod imperatur, sit peccatum, tenetur obedire, uti ex Jure Canonico, SS. PP. & ratione probatum est à n. 432. Deinde idem valet in materia religionis, nam v. g. dubius de voto non tenetur, quia libertas, quæ secundum Reg. 122. ff. de Reg. Juris, omnibus rebus est favorabilior, in possessione est, uti dicitur l. 3. p. 1. à n. 381. Præterea in materia fidelitatis, nam in dubio, an matrimonium valeat, tenetur conjux reddere debitum, quia pro altero conjugis bonâ fide petente debitum, est possessio, uti n. 268. est dictum, & pluribus dicitur de matrimonio. *Ratio* à priori horum omnium est, nam præcipuè ideo valet in materia justitiæ, quia homo possidens habet aliquam præminentiam, sive plus juris, ut non privetur re, nisi probetur non esse suam, sed idem est in aliis materiis, quia homo per possessionem acquisivit jus retinendi id, quod habet, ideoque potest in hoc stare, donec probetur eum non debere habere, ergo.

§. IX. *Obj. 1.* In materia justitiæ lis est inter æquales, hinc favor est pro possidente, sed in materia aliarum virtutum lis est inter legem Dei & hominem, ergo meritò favendum est Deo, sicuti in dubio faveatur Ecclesiæ, causæ piæ, doti, matrimonio, secundum dicta n. 460. *R.* Quòd in dubio faveatur Ecclesiæ &c nascitur à lege positiva id statuente qualis non est, quando dubitatur de lege Dei, de quo præsumimus, quòd pro benignitate sua in casu dubio

dubio legis obligare nolit ; unde nihil ad rem facit inæqualitas perfectionis inter Deum & hominem, uti patet in casu impotentis ad matrimonium, in quo conjux licitè petit debitum, licèt lis sit inter hominem & solam legem Dei ; vetantis copulam cum non sua.

504 *Inst.* Ergo dubius de homicidio poterit judicare se non esse irregularem, quod est apertè contra jus Canonicum. *R. n. seq.* nam de solo illo casu specialiter disponit Pontifex, ut in dubio censeatur contracta irregularitas; in aliis nihil speciale disponit.

505 *Obji. 2.* Si axioma valet etiam in aliis materiis, ergo sicuti per possessionem in materia justitiæ præscribitur contra jus alterius, ita in materia aliarum virtutum præscribetur etiam contra jus naturæ. *R. n. consèq.*, quòd præscribatur jus contra alterum, est ex dispositione legum positivarum, quæ dominia transferunt: è contrà tales leges non sunt in aliis materiis, neque ulla lex positiva potest mutare materiam juris naturalis.

506 *Obji. 3.* Lex naturalis & divina est æterna, adeoque antecedit libertatem nostram, ergo libertas nostra non potest esse in possessione contra leges illas. *R.* Lex naturalis & divina, de qua dubitatur, vel datur vel non datur; si non datur patet, quòd non antecedit libertatem nostram: si datur, cum sit dubia & invincibiliter ignoretur, non habet proximè rationem legis defectu sufficientis promulgationis vel applicationis, adeoque non potest dici antecedere libertatem nostram, quæ certa est. Vide dicta n. 277.

507 *Inst.* Vel loqueris de libertate tua Physica vel de morali; non de Physica, hæc enim maneret, quamvis lex contraria agnosceretur, & tamen tum non possideret contra legem: nec de morali, nam de hac ipsa dubitatur, an adsit, quando dubitatur de le-

ge, ergo hæc non est in certa possessione contra legem. R. 1. Idem solvendum esse omnibus circa possessionem libertatis in materia justitiæ. R. 2. Nos loqui de libertate Physica, cui propter ignorantiam invincibilem bona fides ab initio conjuncta fuit, hæc autem libertas est in certa possessione, & non fuisset, si lex contraria agnita fuisset, uti per se patet: ista autem possessio libertatis Physicæ prout conjunctæ cum bona fide & ignorantia invincibili fundat in nobis certam possessionem libertatis moralis ad operandum, non obstante dubio, quod supervenit, de existentia legis.

Obj. 4. Regulæ juris habent, quòd in dubiis pars tutior sit eligenda, ergo in dubiis non juvat possessio. R. n. conseq., quis sit sensus regularum de parte tutiore sequenda, diximus n. 490.; Potestque etiam videri *Io. Sanch* in select. d. 42. n. 13., ubi declarat, quomodo regulæ illæ, *In dubiis melior est conditio possidentis*, *In dubiis pars tutior est eligenda*, planè concordent.

Q. 66. Pro quo censeatur esse possessio. R. Pro illo, pro quo est præsumptio juris, sive, qui onus probandi in alterum transfert, ipse autem se tantum quasi defendit, ita *Bardi* discept. 5. c. 5, rectè addens discep. 6. c. 11. p. 3. §. 2. ad illum pertinere probationem, qui supra rem illam se fundat: v. g. incolo domum, ideoque præsumor habere jus in illa, eamque possidere, quòd si quis de hoc dubitet aut me exturbare velit, ipsi incumbit probare, quòd non sit mea, nec ego teneor positivè probare esse meam, sed me tantum defendere, dicendo me fuisse & permanere dominum, & cum alter, qui de hoc dubitat & me vult exturbare, fundet se in hoc quòd domus illa mea non sit, hoc probare incumbit ipsi, quia *quisque debet probare id, supra quo se fundat*, L. 2. ff. de probat.

probat., Bartolus in L. De etate, ff, De Minoribus, Plura de possessione dicuntur l. 3. p. 2. à n. 407.

510

Q. 67. An consultius sit se & alios dirigere secundum opiniones rigidiores, an secundum benigniores. R. De hoc aliquid dictum est n. 475., & plura dicuntur de poenit. ad c. 2. dub. 6., ubi de prudentia Confessarii: Hic verbo notandum, quod refert Moya de op. prob. q. 5. n. 45., nempe in Glossa ad prolog. Constit. Ordinis Prædicatorum sapienter notari, quòd salus animarum multum impediatur nimia austeritate in consiliis & opinionibus, ideoque mandatur relaxatio & præscribitur, ut homines benignè tractentur. S. August. l. 3. contra Epist. Parmen. c. 1. queritur de aliquibus, qui ne luce veritatis carere ostendantur, umbram rigidae severitatis obtendunt. Nec dubium est, quin id suggerat daemon, qui, uti ibid. in fine ait, S. Aug. per imaginem quasi justa severitatis crudelem savitiam persuadet, nihil aliud appetens venenosissimam versutiã suã, nisi ut corrumpat atque dirumpat vinculum pacis & charitatis. Similia habet Gerson de vita Spirit. lect. 4. Corol. 11. E contra tamen etiam observanda sunt hæc verba Sporer n. 34. Qui studiosè inquirunt in sententias benignas & faventes sibi, secundum quas agant, communiter agunt periculosè, quia vehemens illa inclinatio ad unam partem, sæpe facit, ut non considerentur omnes circumstantiæ ad rem facientes, nec debitè ponderentur rationes in oppositum: omnino autem malè procedit, si tantum intendat invenire Auctorem vel opinionem sibi faventem, ut sic coloret suum factum, non curando, quo fundamento vel ratione nitatur, nam ex tali opinione, neque conscientiam practicè certam formare potest, nec consequenter honestè & licitè operari. Universaliter loquendo, semper præferendæ sunt illæ sententiæ, quæ

quæ hîc & nunc magis expediunt ad salutem animarum, uti l. c. dicitur, & Vide dicta n. 469.

CAPUT III.

511

Quid Conscientia scrupulosa, & quid in ea agendum.

Resp. I. Scrupulus est inanis apprehensio, & hinc ^{513.} ortus timor & anxietas, alicubi esse peccatum, ubi non est. Ita communiter, Nav. Azor, cateri.

Resp. II. Licet operari cum conscientia scrupulosa, manente scrupulo, dummodo judicetur esse scrupulus, & tunc talis contemnatur. Neque tamen opus est, ut ad singulos actus formetur hoc expressum judicium, quod sit scrupulus; sed sufficit, quod contra eum agat ex habituali vel virtuali judicio ab experientia præteritorum actuum. Ratio est, quia talis nulli periculo se exponit; cum ad bene operandum sufficiat judicium probabile aliquid licere: scrupulus autem, cum ex levi fundamento procedat, non tollit judicium practicum probabile, Sanch. l. 1. c. 10. n. 79. & c. Regin. Becan. Fill. l. 21. n. 176.

Resp. III. Signa Conscientiæ scrupulosæ sunt, ⁵¹² I. Pertinacia iudicii, quâ Doctorum consiliis non acquiescunt, unde varios consulunt & fatigant, ac tandem nullius iudicio stant nisi suo. II. Ex levi apparentia frequens iudiciorum mutatio: unde oritur in agendo inconstantia. Sic v. g. in Horis legendis aliquando decies mutabunt iudicium, de lecto vel non lecto aliquo versiculo. III. Quod ex prioribus procedit, perturbatè agere, & cæcè quodammodo in externis actionibus versari. IV. Habere reflexiones extravagantes infinitarum circum-

“ cumstantiarum. V. Timere in omnibus peccatum,
 “ ac contra sapientum & proprium sæpe iudicium,
 “ esse inquietum. VI. Si Confessarius iudicet te esse
 “ scrupulosum. VII. In particulari signa scrupuli præ-

“ sentis sunt hæc duo: 1. Si per illum experiaris te

“ nimium angere & turbari. 2. Si aliàs expertus sis te

“ similia apprehendisse sine fundamento.

“ Resp. IV. Remedia Conscientiæ scrupulosæ sunt:

“ I. Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec

“ cogitatione fovere. II. Iudicio Confessarii vel alte-

“ rius viri docti ac pii acquiescere, non recurrendo

“ ad eum in singulis actionibus, sic enim se & illum

“ fatigant, cum scrupulorum incremento, sed accipi-

“ endo ab eo generalia principia, à quibus nullius

“ scrupuli causâ, imò nullo modo recedat, etsi enim

“ alterum errare contingeret, quia tamen hoc fa-

“ ciendo, agit, quod in se est, non peccabit. III. Bo-

“ norum vitam & consuetudinem tanquam regu-

“ lam intueri. *S. Ant. Sylv.* IV. Assuefacere se ad

“ sequendas sententias mitiores, & minus etiam tu-

“ tas, *Fill. n. 182.* V. Non iudicare quidquam esse

“ mortale, nisi certò sciat, *Azor to 1. l. 2 c. 10.*

“ *Vasq. Sanct. Fil. n. 183.* VI. Nunquam otiosi

“ quia otium implet phantasiâ cogitationibus

“ scrupulosis. VII. Destruere causas scrupulorum,

“ v. g. melancholicus evacuet medicamentis atram

“ bilem; pertinax frangat suum iudicium; superbus

“ prudentiæ non confidat; rudis instructionem pe-

“ tat; timidus meditetur bonitatem Dei, quæ non

“ imponit præcepta redigentia ad insaniam. VIII.

“ Nolle scrupulorum privilegia; ut i. quòd non

“ teneatur in agendo adhibere examen & diligentiam,

“ nisi valde mediocrem: nec tantam, quantum

“ alii: & quòd dum angit scrupulus, nec suppetit

“ consilium, possit liberè agere, quod vult, nisi cer-

tum

535

512

527

512

512

rum & evidens sit esse peccatum : Vide *Vasq. in 1.* 2. d. 57. 2. Quod nihil teneatur repetere ex præteritis confessionibus, nisi certò sciat illud esse mortale, & se ritè confessum non esse; Non est autem certus, quamdiu dubitat: Unde suadet *Lay* ut scrupulosus nunquam confiteatur dubia & scrupulos. Et *Sa. V. Dubium Sanch. Azor. &c.* dicunt non teneri confiteri, nisi quæ jurare possit esse mortalia, & nunquam esse confessum. Ratio utriusque privilegii est, quia in scrupuloso ex nimio timore peccandi turbatur ratio, ut non possit rectè rem examinare: Unde esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno & periculo anxietatis perpetuæ procurare integritatem confessionis, cum ab ea minores sæpe difficultates excusent, ut notat *Köning. Laym. Bon. Azor. Bec. IX.* Confessarius non permittat confiteri vel proponere scrupulos vel dubia, (maximè, si semel ad satietatem audiverit:) quia alioqui nunquam fontem scrupulorum exhauriet. Vide apud *Lay. hinc c. 6. Filic. Sanch hinc & l. 2. de Matri. d. 41. n. 2. Azor p. 1. l. 2. c. 20 Bresserum l. 6. tuto. Bec. p. 2. t. 1. c. 4. q. 10. Bonac. 10. 2. d. 2. q. 4. p. 8.*

A D D E N D A.

Q. 68. *Quæ sint causæ scrupulorum R. Variæ, 512*
 1. Suggestio dæmonis, ut bonum spirituale hominis impediat: 2. Consortium cum scrupulosis, vel lectio casuum conscientia facta ab incauto & minus intelligente: 3. Imbecillitas capitis, quam homines apprehensivi habent: 4. Defectus iudicii naturalis: 5. Melancholia aut complexio corporis ad timorem propensa, qualis est in naturis humidis ac frigidis. 6. Acumen ingenii in inveniendis rationibus

I

nibus

nibus dubitandi, & impotentia dissolvendi. 7. Oc-
cultas superbia, ob quam aliquis non vult se submit-
tere iudicio & directioni alterius: 8. Actio de se
non mala cum timiditate sæpius repetita, sic enim
magis intimidatur animus, & tandem cedit impru-
denti timori. 9. Pusillanimitas & dejectio animi,
ob quam quis nescit timores contemnere. 10. Ni-
mia sollicitudo cavendi omne id, quod habet spe-
ciem mali, dum enim continuò sibi inlamar, cave
peccatum, cave tibi, seipsum sine causa intimidat.
11. Voluntas Dei, qui sæpe immittit, vel ad punien-
da peccata, præsertim superbiam, vel ad instru-
endum hominem, ut sciat compati & dirigere simili
malo afflictos, vel ad excutiendam tepiditatem in
servitio Dei, vel denique ad majus ejus meritum.

513 Q. 69. *An scrupuli sint utiles.* R. Sunt partim
utiles, partim noxii:

§. I. Utiles sunt; 1. quia juvant ad emundan-
dam conscientiam; hinc homo, qui in vita scrupu-
losus fuit, in morte solet abundare maximis conso-
lationibus, etiam ex recordatione, quòd conscien-
tiam semper conatus sit habere mundam. 2. Juvant
ad reddendum hominem in actionibus suis cautum,
ne offendat Deum; item faciunt attentum & sollici-
tum, ut omnia ad Deum dirigat. 3. Plurimum fa-
ciunt ad internam humiliationem, videt enim scrupu-
losus, quàm miser sit, quàm parum prudens: de-
inde cogitur per angustias suas se suaque omnia ape-
rire alteri; debet abdicato proprio iudicio alienum
sequi, & facere, quod jubet alter. 4. Multum con-
ducunt ad hoc, ut quis suo tempore possit alios diri-
gere & juvare, vix enim bene diriget scrupulosum,
qui scrupulos non senserit, unde quos Deus præor-
dinat ad alios suo tempore juvandos, solet eos prius
in illis exercere, ut sciant compati, & practicè nove-
rint;

runt, quomodo sit scrupuloso, quem maximè torquet illa cogitatio, quòd putet neminem scire, quomodo ipsi sit. 5. Juvant ad magnum meritum, quidquid enim agunt scrupulosi, ideo agunt, ne displiceant Deo, sicque puram semper intentionem habent: deinde pro Deo non offendendo patiuntur gravissimè, mallentque sæpe mortem, quàm ejusmodi angores ferre; sicque Deus, sine peccato tyrannorum, facit eos sibi Martyres esse: & hæc scrupulosis solatio esse debent.

*Vide lib. 6.
p. 2. n. 1913*

§. II. Scrupuli sunt noxii, in primis corpori, quia 514
destruunt valetudinem, attenuant caput, sæpe redigunt hominem ad insaniam, vitam sæpe abbreviant, deinde animæ, quam reddunt intricatam, desolatam, perplexam, quandoque desperabundam; confundunt intellectum, judicandi vim perturbant, sæpe totum hominem insignibus talentis præditum reddunt ad omnes functiones ineptum: præterea impediunt multa bona opera, prodigunt tempus multis vanis ac inutilibus cogitationibus &c.

Q. 70. *Quandoam aliquis judicari debet* 515
scrupulosus. R.

§. I. Maximâ hinc circumspeditione est opus, nam aliqui sæpe putantur esse scrupulosi, qui non sunt: *Scrupulosi verè tales paucissimi sunt, inquit Eliz. l. 8 q. 16. §. 3., sed stultus mundus timorem Domini scrupulos vocat & conscientias fascinat: è contrà tamen aliqui sunt scrupulosi, & non putantur esse.*

§. II. An aliquis, qui meticulosæ conscientiaë est, 516
sit scrupulosus necne, communiter judicare non potest meticulosus ipse, sed judicium relinqui debet viro docto, probo ac prudenti, qui in tractandis conscientiaë aliquam experientiam habeat; tales enim meticulosi per suas anxietates turbantur, quominus rectè judicent, maximè in rebus propriis, in quibus
homi-

homines maximè cæcutiunt, unde potiùs credere debet alteri, cui conscientiam suam modumque operandi sincerè aperuit.

517 §. III. Vix potest aliquis judicare statim primà aut secundâ vice, quando alterum confitentem audiit, an sit scrupulosus necne, quia quamvis aliquis quandoque sit anxius circa multa, fortè justa & rationabilis est anxietas.

518 §. IV. Quando pœnitens est sollicitus, imò & moderatè anxius, ne Deum vel levissimè offendat, aut ut statim culpam deponat, non debet ideo judicari scrupulosus, justa enim & prudens est cura illa, ne Deus in minimo offendatur, & ut offensâ deponatur; hinc legimus de viris Sanctis, quòd quotidie, quandoque etiam bis de die confessi sint.

519 §. V. Qui post vitam in magnis peccatis diu traductam anguntur, sibi que etiam intra mediocre tempus, v. g. intra medium annum nunquam videntur satisfacere, sed magis confiteri volunt, & præterita expiare, non semper judicandi sunt scrupulosi, quia timor & cura illa sæpe est prudens ac necessaria, tum ad recogitanda pro confessione omnia peccata, quæ homini salutis incurio facilè excidunt, tum ad cogitationes & affectus à malo abducendos, quod post consuetudinem peccatorum non adeo facilè fit.

520 §. VI. Si quis nunc adhuc deliberatè consentiat in peccata, quamvis postea valde angatur, sollicitè se examinet, anxie confiteatur, sicque se ipsum aliquo modo turbet, non ideo statim censeretur scrupulosus, est enim justa causa illius anxietatis & moderatæ turbationis, quam Deus per conscientiam remordentem injicit, estque re ipsa actualis gratia Dei, quæ ideo turbat, quia est contraria affectui peccaminoso, quem homo paulò antè habuit, aut fortè etiamnum habet.

§. VII.

§. VII. Ex eo, quòd aliquis dubitet, an in hoc 521
vel illo peccarit, non potest semper colligi, quòd sit
scrupulosus, quia dubium & scrupulus valde distin-
guuntur, nam dubium est suspensio iudicii, quæ si
fiat ex rationabili motivo, est prudens, hinc sæpe fieri
potest, ut aliquis dubitet, peccaritne mortaliter nec-
ne, quod plerumque contingit illis, qui vel ignoran-
tes sunt, vel non satis attendunt ad suas intentiones
& affectus: è contrà scrupulus est tantùm inanis
apprehensio & sine fundamento conceptus timor
peccati, ubi peccatum non est: ex quo etiam patet,
si quis per errorem iudicet aliquid esse peccatum,
quod peccatum non est, hoc non esse scrupulum, sed
conscientiam erroneam, contra quam si operetur,
peccat.

§. VIII. Qui in uno tantùm vel altero casu tran- 522
seunter habet scrupulum, non potest dici scrupulo-
sus, hoc enim nomen frequentiam seu habitum de-
notat; uti non dicitur ebriosus, qui semel aut ite-
rum fuit ebrius, sed qui solet se inebriare: unde nec
talis uti poterit privilegiis scrupulosorum, uti rectè
Sioz l. I. p. 5. n. 176.

§. IX. Aliqui sunt scrupulosi circa præterita, alii 523
circa præsentia: scrupulosus circa præterita est ille,
qui cum moralem diligentiam adhibuerit in exa-
minandis, detestandis & confitendis præteritis, ni-
hilominus sine prudente motivo continuò timet, an
hoc vel illud etiam non fecerit, an rectè doluerit, an
satis confessus sit &c. Scrupulosus circa præsentia est,
qui cum deliberatè non consentiat in peccata, tamen
ubique timet, ne hoc quòd facere vult, sit peccatum,
ideo ubique hæret, & seipsum vanis apprehensio-
nis peccatorum excruciat, si aliquid egerit.

§. X. Si quis sit anxius & seipsum interroget, 524
quæ sit causa suæ anxietatis, tumque nullam causam

rationabilem dare possit, signum est angi scrupulo, uti & tum, si illa, quæ aliàs scit & antehac prudenter judicavit non esse peccata, jam reputet ut talia, vel operando formidet, ne sint.

525 §. XI. Fit sæpe, ut aliquis sit scrupulosus in una materia, v. g. in materia castitatis vel horis legendis, è contrà non sit scrupulosus, sed nimis laxus in aliis, unde talis non poterit uti privilegiis five regulis scrupulorum, nisi in illa materia, in qua scrupulosus est.

526 §. XII. Ad meliùs dignoscendum, quisnam sit scrupulosus, juvat ex Stoꝝ. n. 223. expendere discrimen, quod est inter laxum & scrupulosum, v. g. 1. Laxus est, qui spernit & pro nihilo habet illa, quæ alii communiter putant esse peccata: qui verò timet, quæ alii pro nihilo habent, est scrupulosus. 2. Qui non credit Concionatoribus, sed eorum reprehensionem censet esse immodicas exaggerationes, laxus est: qui verò Confessariis aut aliis viris doctis & probis factum excusantibus non credit, est scrupulosus. 3. Qui proprio confisus iudicio procedere solet nemine consulto, laxus est: qui verò in rebus etiam claris, vel de quibus aliàs accepit resolutionem, iterum iterumque interrogat, volens se per hoc reddere magis securum scrupulosus est. 4. Qui in confitendo non multum laborat de exprimenda specie & numero peccatorum laxus est: qui verò omnia dubiè & hæsitanter confitetur, idem sæpius repetens, dicens jam hunc jam illum numerum vel circumstantiam diversam, nec unquam sibi satisfaciens, scrupulosus est. 5. Qui præcipitanter & sine consideratione agit quidlibet, est laxus: qui verò in omnibus ita suspensè procedit, ut non fidat communi doctrinæ Theologorum, sed semper evidentias & demonstrationes quærat, est scrupulosus, 6. Qui velociter & vagè præscriptas preces deproperat, sine causa interrum-

terrumpit, inter orandum circumspicit vel fabulatur, est latus: qui verò anxie precatur, sapius subsistit pro attentione habenda, eadem reperit, est scrupulosus; & ita de aliis materiis. Atque ex his facile est colligere, quisnam habeat conscientiam timoratam & bene formatam, nempe qui in his aliisque medium tenet.

Q. 71. *Quid observandum sit circa directionem scrupulosi.* R. seqq. 527

§. I. Curam dirigendi scrupulosum non admittat Confessarius, nisi ille ostendat, se credere, quod Confessarius possit & velit eum bene dirigere, simulque spondeat constantiam apud illum, confidentiam in se aperiendo, obedientiam in sequendo, etiam seposito proprio iudicio, hoc enim est facillimum & ferme unicum medium tales homines juvandi, quo si utantur, etiam securè procedunt, uti dicitur n. 540.

§. II. Confessarius ante omnia videat, quæ sit causa scrupulorum, & conetur eam amoliri, debet enim agere, sicuti prudens Medicus corporis, qui explorat morbum & causam ejus, priusquam medicamenta applicet. 528

§. III. Plerumque mitis sit erga scrupulosum, ne afflicto afflictionem addat: quandoque tamen etiam juvat austeritas, ut expugnari possit tenacitas iudicii in poenitente. 529

§. IV. Resolutè ei respondeat, non hæsitans, nec multùm distinguens, sed absolutè enuntians, quid faciendum sit, semper sequendo partem benigniorem, & dubitationes ejus interpretans in meliorem partem; nunquam autem det rationes sui responsi, quia has postea scrupulosus examinat, sibi que reddit dubias, ac se magis implicat. 530

§. V. Non patiat sibi proponi quoscumque scrupulos & dubia, sed quando moraliter certus est 531

scrupulum afferendum, dimittat etiam ad communionem non auditum, quia hæc interrogationes & frequentes recursus ad Confessarium sunt veluti frictio scabiei, inquit *Crombezius* l. I. de perf. c. 13, quæ quidem placet, sed nocet.

532 §. VI Quandoque suaviter irrideat, dum proponit aliqua minus prudentia dubia, jubeatque cogitare, quid responsurus esset, si ab alio interrogaretur, mandetque idipsum facere.

533 §. VII. Sollicitè monendus est, ut nulli scrupulo cedat, sed directè contra eum operetur, v. g. si scrupulum habeat, quasi peccet, si transiens Sacerdotem non deponat pileum, jubeatur transire tecto capite; si enim sic cogitet, hac vice deponam, pro securitate ne peccem, hac vice tantum, ut sim quietus &c., hoc ipso paulatim inducit apprehensionem obligationis, & vehementer auget suum malum: imò docendus est, quòd cedendo scrupulis peccari possit, v. g. quia per scrupulos nocetur corpori & animæ, impediuntur multa bona, superbè defenditur judicium proprium, non satis æstimatur Dei bonitas, sed occurrit scrupuloso velut Tyrannus, qui torturâ hominis delectetur, vel nobis quasi ponat laqueos peccandi.

Qui plura voluerit pro consolandis juvandisque ejusmodi hominibus internè afflictis & anxiiis, legat inter Epistolas *Ludovici de Ponte*, post ejus vitam annexas, Epist. 16. 17. & 18, ubi planè solida & profundè spiritualia circa hæc documenta tradit.

534 Q. 72. *Quenam præterea regula servare possint scrupuloso.* R. seqq.

§. I. Quod nimiam difficultatem affert, non est moraliter possibile, unde ad illud nec Deus nec Ecclesia obligat, ita *Regin.*; & hanc regulam applicare potest plurimis materiis, v. g. scrupulosus dicere potest, mihi nimis difficile esset confiteri, quidquid me inquietat,

quietat, sic recitare horas semper repetendo, semper habendo formalem attentionem &c., ergo ad talia non obligor.

§. II. In dubiis, vita & communis sensus hominum proborum meritò potest haberi pro regula vivendi, unde quod illi absque formidine peccati agunt, potest scrupulosus sequi, ita *Laym.*, hinc potest sic dicere scrupulosus, video hos & illos homines, de quorum probitate dubitare non audeo, tale quid bonâ fide agere, ergo ego possum similiter.

§. III. Qui omittit, quod lex præcipit, excusatur, si bonâ fide & sine contemptu putet legem non esse, paratus facere, si sciret legem esse, ita *Cajet. Nav.*; hinc dicere potest, non scio, quòd existat lex, v. g. repetendi horas, etiam si distractè oraverim, & si scirem legem esse, repeterem, nunc autem non repetam, quia certus non sum de ulla ejusmodi lege.

§. IV. Si dubitet, an id, in quo hæret, sit scrupulus, an prudens ratio dubitandi, tunc contemnere potest velut scrupulum, inquit *Stoz* l. 1. p. 5. n. 185. & 189., nam quod dubium est scrupuloso, hoc censei debet pro illo moraliter certum; & si esset peccatum, id sciret vel audisset antehac: hinc si v. g. apprehendat se teneri ad aliquid statim faciendum, uti ad corripiendum proximum, si non est certus se teneri, prudenter judicat se non teneri, & bene facit omittendo, uti rectè *Less.* de act. hum. q. 19. n. 79.

§. V. Addit *Less.* expedire, ut scrupulosus memoriâ retineat, vel etiam in charta notet scrupulos præteritos, in quibus agnovit, vel à Confessario audivit se inaniter fuisse anxium, sic enim poterit ex horum similitudine novos dijudicare & contemnere.

§. VI. Quamvis scrupulosus sit rudis, rectè tamen facit, si assuescat ex generalibus principiis sibi formare conscientiam, non recurrendo toties ad

Confessarium, sicque pergat bonâ fide: si erret, non imputabit Deus, qui non obligat ad toties recurrendum cum tanta molestia & perturbatione sui, sed unicuique dedit rationem, ex qua sibi formet dictamina agendi.

540 §. VII. Directio Confessarii est facillimum medium evadendi scrupulos, si nempe ei credat penitens; hinc si juvari optat, debet unum stabilemque sibi eligere, quem putet doctum & probum, ita ut possit & velit bene dirigere secundum Dei beneplacitum & salutem ipsius: quod si ad varios currat, eisque suas difficultates exponat, signum est pertinacis iudicii & quod velit eum tantum sequi, qui secundum ipsius caput respondebit: rectè ait S. Antonin. I. p. summæ tit. 3. c. 10. §. 10. Reg. 5. *Est igitur quinta regula, obedientia humilis imitatio, ut scilicet scrupulosus captivet intellectum suum dictis sapientum & obedientia Superiorum, quantumcumque scrupulus sibi dicet aliud.* Et quod prudenter agat sic cæcè sequendo, clarè ostendit Less. n. 78., sic enim format conscientiam, *quamvis ego, quoad me, potius iudicarem me ad hoc teneri, hoc esse peccatum &c., quia tamen meus Confessarius mihi dicit contrarium, possum & volo facere hoc, quod ille mihi dicit, & certus sum me bene facere, quia Deus vult, ut faciam, quod ille mihi dicit, cum ipse mihi sit interpret Divinae voluntatis, ita Gobat tr. 7. n. 500.*

541 Q. 73. *Quanam sint observanda, si quis circa peccata praterita & eorum confessiones sit scrupulosus.* R. Seqq.

§. I Si antehac vixit in consuetudinibus peccandi, permitti debent scrupuli aliquo tempore, ut conscientia rectè expurgetur: ante omnia autem sollicitè disponendus est ad confessionem generalem, (si hanc

hanc nunquam fecerit) per prævios actus fidei, spei, charitatis, doloris, propositi: tumque iuvandus in examine, percurrendo præcepta Decalogi, Ecclesiæ & peccata præcipua: hanc confessionem si semel fecerit, nunquam amplius permittendus est confiteri generaliter, attamen concedendum, ut ter aut quater addat, quæ adhuc incident, & de quibus nescit se rite confessum esse, tumque postea de præteritis omnino non audiendus, nec permittendus se desuper examinare, quamvis non meminerit se hoc vel illud esse confessum, quia non meminisse non est rationalis causa dubitandi, cum nec aliorum actuum sæpe meminerimus, ita *Nav. Laym. Med. Sa, Henriq. Cõn. Gob. Lohn.*

§. II. Si sciat se solitum esse retinere peccata in confessione, dandum est aliquantò longius spatium post confessionem generalem, ut peccata adhuc incidentia confiteatur, v. g. per dies quindecim, post quos etiam ipsi prohibenda est confessio & recogitatio de peccatis præteritis, quamvis enim fortè omitterentur aliqua, non est obligatio cum tanto incommodo præterita scrutandi, remissa autem sunt omnia indirectè per primam absolutionem, ita *Cõn. Lohn. & alii.* Ideoque universaliter dicit *Less.* de act. hum. q. 19, n. 80. scrupulosum non teneri quicquam repetere in confessione, nisi certus sit, se vel nunquam, vel non bene esse confessum, quamdiu autem dubitat, certus non est.

§. III. Si post adhibitam diligentiam istam adhuc non acquiescat, sed dicat se hæc & ista certò fecisse, & non esse confessum, jubeat Confessarius, ut juret se scire, quòd per hoc peccarit mortaliter, & quòd nunquam sit confessus; si timeat jurare, dimittat nec audiat, nam non est certus, sed ad summum opinatur, si sine mora juret, audiat, tum enim non est scrupulus.

§. IV.

544 §. IV. Si angatur circa præparationem ad confessiones, edoceri debet, quòd sufficiat diligentia & præparatio mediocris, qualis in negotio magni momenti ab hominibus adhibetur: quoad confessiones autem peractas declaret ei non ideo esse repetendas, quòd probabiliter fuerint invalidæ, si etiam probabile fit valuisse, uti pluribus dicitur de Sacramentis.

545 §. V. Si pro confessione ordinaria nihil peccati comperiat, non ideo turbetur, quia vel non peccavit, vel Deus ei sua lumina hinc subtrahit, ut tantò humilior reddatur, ideoque eum Confessarius vel dimittat cum cruce, vel jubeat ex priorè vita repetere unicum peccatum, quod certò sciat se antehac esse confessum.

Q. 74. Quanam regula serviant illi, qui scrupulosè angitur, ne tentationi interna consenserit.
R. Sequentes,

545 §. I. Nunquam credat se mortaliter peccasse, nisi certò sciat, imò etiam, si valde scrupulosus sit, jurare audeat se plenè advertisse malitiam gravem, & in eam plenè consensisse; hinc etiam pro conscientia non scrupulosis communiter notant Auctores, & absolutè dicunt *Bonac.* de peccatis d. 2. q. 2. p. 3. n. 19. *Sayr.* in clavi Regial. 8. c. 7 n. 6. *Regin.* l. 15. n. 76. *Herinx* de peccat. d. 7 n. 41. *Bosco* de pœnit. d. 7. f. 8. n. 104. & 107., qui timorata est conscientia, nec solet plenè advertens consentire, potest in dubio credere se non plenè consensisse, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.

547 §. II. Regula jam data valet, quamvis non adfit alia conjectura: valet autem maximè si præterea accedat unum ex his, I. Si serium animum & sæpe repetitum propositum habuerit nunquam peccandi mortaliter, aut potius moriendi; quæ enim sæpe sunt
odio

odio habita, si postea plenè amentur, hoc facillimè advertitur. 2. Si, quando magis advertit, terreatur & continuò repellat, quia si animus antea plenè consensisset, non tam facilè mutaretur, præsertim sine consideratione motivorum oppositorum; & si se plenè avertisset à Deo, non tam citò ad eum iterum converteretur. 3. Si statim post factum advertat se jam cognoscere malitiam, quam antè non ita cognoverat, tum enim signum est, quòd antè non plenè cognoverit. 4. Si meminerit se timidè & suspectè processisse, quia tum signum est non plenè consensisse. 5. Si tum habuit occasionem patrandi peccatum, & tamen ab illo abstinuit, signum est, quòd non plenè consenserit in illud patrandum. 6. Si nesciat, an vigilianti an dormienti, an sobrio an ebrio contigerit, si enim fuisset plena deliberatio & libertas, sciret, an fuisset vigilans & sobrius. 7. Si statim post factum dubitet, an consenserit, quia *plenus consensus in mortale est tanta iniquitas*, inquit *Iacobus Alvarez*, & post eum *Gran.* apud *Ovied.* I. 2. tr. 4. contr. I. n. 29. *ut celari aut ignorari non possit, sed in recenti facile agnoscatur: & si peccato consensisset*, inquit *Bonac.* suprà, *facile cognosceret se consensum præbuisse, nam à mortali peccato valde abhorret, ut suppono, cum sit timorata ad Deum conscientia, qui autem ab aliquo malo valde abhorret, si in illud incidat, non facile obliviscitur.* Et hic dicta valent etiam pro non scrupulosis.

§. III. Quamvis homo, qui non est timorata conscientia, sed solet consentire, ex communiter contingentibus debeat in dubio præsumere se consensisse, tamen rectè notat *Herinx* suprà, si cœperit serio converti, sæpè fieri, ut longo tempore inhæreat cogitationi, neque tamen consentiat, eò quod habitus antiqui naturaliter operentur primum motum, nec

nec semper possit homo aliis intentus animum advertere ad illum tam citò reprimendum, quod valet de omnibus, sed maximè in scrupulosis, qui à peccatis recenter convertuntur.

549 §. IV. Pro certo tenendum est nihil esse peccatum, nisi tum, quando committitur, advertatur malitia, quòd enim aliquis postea advertat, est conscientia sequens, quæ nihil ad rem facit, uti dictum est n. 44.

550 §. V. Quando materia actionis vel omissionis de se est grata appetitui, & tamen non causavit specialem delectationem in voluntate, signum est, quòd defuerit plena advertentia vel consensus, alioquin etiam voluntas suam percepisset delectationem.

551 §. VI. Qui scrupulosi sunt in internis dubiis circa fidem, jubendi sunt non pugnare positivè contra tentationem, volendo elicere actus oppositos, sed habeant se quasi permissivè & contemptim, v. g. si se internè ingerat tentatio, Deus non est Unus & Trinus, non debent in hoc æstu tentationis velle elicere actum fidei circa hoc mysterium, sed faciliùs vincant, si abstrahant, hoc modo, quando tentatio dicit, hoc non est possibile, ut Deus sit Unus & Trinus, respondeant internè, non sit possibile, quid tum? ergo Deus non est Trinus? non sit, quid tum? ergo tu hoc non credis? non credam, quid tum? imò dicat, nolo jam credere, sed tum credam, quando opus erit. Vide dicenda l. 2. n. 42.

552 §. VII. Similiter, qui circa judicia temeraria est scrupulosus, faciliùs vincet, si quasi permissivè se habendo contemnat, quàm si positivè contrà luctetur, v. g. audit Titium paulò liberiùs jocantem, incidit cogitatio, Titius est luxuriosus; hinc non debet velle se cogere, aut rationes quærere, ut judicet Titium potius esse castum, sed quasi contemnat, internè dicendo,

cendo, sit luxuriosus, quid tum? quid ad me? sit talis: ergo judicas esse talem? judicem, quid tum: ergo sic vis peccare? peccem sic, quid tum? Si sic agat contemnendo, reipsa nec judicat nec peccat, quia sic se habendo exercitè cognoscit se non esse paratum ad peccandum, nec reipsa habere iudicium illud de Titio: è contrà si incidat, non est luxuriosus, licèt ita loquatur, sed castus; etiam hìc suspendat iudicium, & cogitet, sit castus, quid tum? si enim positivè iudicare veller esse castum, iterum recurreret dubium & tentatio in oppositum, propter jocos liberiores jam auditos.

Vide feb. 3
nũ. 1189.

§. VIII. Qui internè vexatur cogitationibus, 553
quasi Deum blasphemet, veller destruere &c., quamvis cogitationes tales videantur ad cor venire, si tamen seipsum seriò interrogans videatur sibi omnia opposita cupere, censerì debet nullo modo peccare, uti post *Baldel.* notat *Burgh.* cent. I. cas. 47., quia ob vehementiam phantasiæ & turbationem intellectus impeditur libertas, certum enim est quòd non tantum passiones aliæ sed etiam anxia formido tollat indifferentiam iudicii & voluntatis, hinc, inquit *Henr. Suso* apud *Lohn.*, concors est multorum etiam SS. sententia quòd ratio sæpe per importunas incidentias etiam in delectationem perveniat, idque satis longâ morâ, antequam suiipsius per maturam deliberationem plenè compos fiat, & in talibus boni homines peccatum mortale metuere non debent: tali autem homini suadendum est, ut moderatè resistat, potiùs contemnendo, secundùm antè dicta, quàm positivè & directè contranitendo, sic enim frustra se vexaret, quia phantasia ejusmodi repræsentationibus assueta est potentior, nec subjacet libertati. Id tamen notant viri spirituales, quòd postea, dum se examinant, possint præsumere illud esse verum,

rum, quòd statim post factum conscientia dictabat, five quòd ipsis primò occurrebat contigisse, unde si primò videbatur ipsis, quòd consensissent, potest id præsumi: è contrà si primò videbatur ipsis, quòd non consensissent, aut si tantùm timebant vel dubitabant, an non consensissent, præsumant se non consensisse, nec recedere debent ab illa prima persuasione vel resolutione semel facta, frustra enim se divexabunt, cùm nunquam consequi possint certitudinem.

554 §. IX. Qui timidæ sunt conscientiæ, nunquam debent in æstu tentationis qualiscumque illa sit, examinare, an consenserint necne, sed rejiciant in aliud tempus, quando deserbuerit tentatio, & quieti erunt, quia ob turbationem mentis non sunt eo tempore apti ad judicandum. *Nec refert*, quòd timeant, ne obliviscantur, aut postea non ita sciant, quomodo se habuerint, *nam* potiùs admittere debent periculum oblivionis, quàm se ita graviter sine fructu vexare, aut etiam se exponere periculo reipsa consentiendi.

555 §. X. Qui sic internè vexatur metu consentiendi, monendus est, ne gestu vel verbis se defendat contra tentationem, v. g. agitando caput, dicendo, nolo consentire, nolo, non facio, recede diabole &c, hæc enim non sunt remedia, sed majores vexationes sùt: itaque placidè sit quietus, nudè contemnat, agat quòd agit, aut si nihil habet, quòd agat, cogitet de illo, quòd primò occurrit, v. g. si fenestram videat, numeret, quot vitra habeat, sicque faciliùs evincet: quòd si tentatio nihilominus pergat infestare, nil refert; non nocet, si deliberata voluntas non accedat per consensum, cujus periculum non est in homine timorato, nec debet præsumi in ipso: id etiam observandum, quòd ejusmodi homo tentationem ipsam reputet pro consensu, nam si internè suggerat dæmon,

Vide plura Lib. 6. part. 2. nũ. 1906p.

dæmon, fac hoc, visne hoc facere? nunquid vis facere? hoc ipso putant se consensisse, quod falsum est, cum sit mera tentatio ad consensum.

Q 75. Quid illi sit agendum, qui scrupulosè semper 556
timidus est, ne cum dubio operetur. R. Hic scrupulus multis est molestus, cum enim certum sit eum peccare mortaliter, qui operatur, dubitans an hoc, quod facit, sit mortale, aliqui autem scrupulosi ad omnia ferme hæreant & nihilominus sæpe operentur, postmodum nesciunt, an re ipsa dubitarint, aut an se practicè resolverint: pro talibus servient sequentes regulæ,

§. I. Motivum prudens ad se resolvendum quod actio, quam talis homo anxius aggreditur, non sit peccatum, est hoc, si primo statim intuitu & sine formidine non cognoscat esse peccatum: neque opus est, ut examinet rationes pro & contra, sed certò credat esse licitum, hoc ipso quod primo intuitu non occurrat tanquam certò & indubitanter illicitum, ita Bonac. Sanch. Castrop. Laym. Stoq. l. 1. p. 5. n. 200.

§. II. Si sciam alios homines probos aliquid solere agere, tum etiam rectè iudico mihi idipsam licere.

§. III. Quamvis scrupulosus postea inveniat se 557
aliquando errasse, iudicando licitum, quod re ipsa erat illicitum, nil refert, potest nihilominus aliàs eodem modo pergere, & se secundum dicta resolvere, quia cum per experientiam suam sciat tales timores suos, qui æqualiter incidunt, esse communiter vanos, sitque moralis impossibilitas & nimia difficultas examinandi omnes, prudenter facit, si omnes contemnat & bonâ fide pergat, per accidens autem erit, si quandoque materialiter peccet.

§. IV. Si scrupulosus tam citò non possit se de- 558
terminare, nec satis contra illum timorem videatur formare

formare iudicium practicum, quod non peccet, quamvis operetur cum actuali tali timore, non peccat, quia timor ille non est iudicium nec conscientia dubia, sed tantum est fuga aliqua sive actus appetitus aut voluntatis conjunctus cum apprehensione mali, quod fugit; & ille timor relinquit iudicium aliquod quasi habituale, re ipsa virtuale, quod quis habet, & quo iudicat talem actionem non esse peccatum, cum tale iudicium hactenus habuerit de talibus actionibus, & censeatur illud adhuc habere, quamdiu non occurrit ratio certa & evidens in contrarium, licet ipsemet non advertat se habere illud ob impetum contrarii timoris, qui intellectum confundit & perturbat: re ipsa autem talis timor non est in ultimo iudicio practico, sed oritur ex cognitionibus antecedentibus vel comitantibus, quæ veluti objecta respiciuntur à iudicio practico, sicuti præmissæ ultimi iudicii practici respiciunt iudicium directum probabile & formidolosum velut objectum, quod

559 tantum affirmant existere, uti dictum est n. 306.

§. V. Si scrupulosus certò putet se habuisse dubium, non ideo certus est se peccasse, quia potuit fuisse dubium tantum speculativum, per quod non tollitur certitudo iudicii practici ultimò directivi: itaque ad summum reddetur dubius, an re ipsa peccarit necne, cum autem scrupulosus non teneatur confiteri dubia, ut possit tales timores tandem vincere, & superare pericula peccandi, consultius est, ut istorum mentionem nullam faciat, quando confitetur, nec se desuper examinet, an peccarit necne, sed potest prudenter se resolvere, vel quod non peccarit,

560 vel quod saltem non teneatur illa confiteri.

Q. 76. *Quid agendum sit cum illis, qui continuo talia oggerunt Confessario: Pater me non novit; non scit qualis sim; habet me pro scrupuloso & non sum; non sum ita, sicut putat; non satis me explicavi,*

&c. R.

&c. R. Ad satisfaciendum phantasiæ, Confessarius bis vel ter patienter audiat, tum semel pro semper admoneat, ut se sufficienter cognosci statumque animæ intelligi credat, neque opus esse pluribus se explicare: si non acquiescat, permittat ad tempus agere, quod vult, donec illam superbiam, quâ se Confessario præfert, & pertinaciam, quâ iudicio proprio inficit, discat deponere, discet autem, advertens se quotidie magis & magis implicari atque torqueri: quod si nec tandem ita sapiat, habeat pro incurabili, & sustineat eum cum patientia, quandoque enim vult Deus tales permanere. Pro scrupulosis aliis, v. g. circa orationes vocales, horas Canonicas, Missam legendam vel audiendam, dabuntur suis locis regulæ, quando de illis materiis agetur.

TRACTATUS II.

562

*De Regula externa Actuum humanorum,
sive Lege.*

CAPUT I.

De natura & obligatione Legis in genere.

DUBIUM I.

Quid sit Lex sive præceptum.



Espondeo Lex & Præceptum, prout hic
indistinctè accipitur, est recta agendo-
rum, aut omittendorum ratio. Interim
cùm à Superiore non communitati, sed
alicui tantùm, aut aliquibus in particulari aliquid
præcipitur, non appellatur Lex, sed Præceptum tan-

569
562
570
579
582
587

V 2

tùm,